DE QUINTILIANEO USU ET COPIA VERBORUM CUM CICERONIANIS POTISSIMUM COMPARATIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA BASILIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

M. JUNIO A. MDCCCLXXXV.

ADAMUS MARTY

GLARONENSIS.

GLARONAE.

TYPIS VOGELIANIS.

Omnis fere Romanorum scriptores, qui post Augusti principis aetatem florebant, ab illa Ciceronis leui et polita, sed uirili tamen et simplici componendi ratione quam maxime deflexisse querentibus gratissimum occurrit exemplum uiri illius, qui quamquam eiusmodi tempore uiuebat, quo homines, ut quidque corruptissimum erat, ita maxime mirabantur, tamen ueluti firmiore indole munitus sermonem rectum, ut ipsius uerbis utar, et secundum naturam enuntiatum retinebat, ab illo uero aequalium tumido et effeminato genere dicendi longissime abhorrebat, Fabium dico Quintilianum. Quem ut plane est perspicuum suis in libris „de institutione oratoria" scribendis, ut morem dicendi sequeretur ab optimo quoque scriptore constitutum, omnibus enixum esse uiribus, inprimisque Ciceronem, quem tot et tantis cumulat laudibus, tamquam exemplar perfectae eloquentiae ad imitandum in compositionis ratione sibi proposuisse et habere multa, quae redolent antiquitatem: sic certe constat non pauca, magis quidem quam consilio consuetudine saeculi uelut equo effrenato raptum, operi suo inmiscuisse, quae et aetas argentea tulerat et nouauerat ipse. Itaque fieri non potest, quin sit operae pretium, si cuiusquam, certe Quintiliani, clarissimi eius temporis scriptoris et diligentissimi, eloquentiae uero praeceptorum apud Romanos prorsus principis, opus omni doctrina praestantissimum atque integrum nobis seruatum quae corruptae habeat indicia latinitatis, quaeque sint quibus maxime rebus eius

auctor a ueteribus scriptoribus differat accuratius inquirere. Sed haec, qualiacumque sunt, aut in copia uocabulorum eorumque usu aut in uerborum formis aut in eorum inter ipsa coniunctione aut denique in structura et compositione sententiarum deprehendantur necesse est. Quare qui in illis de quibus quaereretur nequaquam indignis rebus elaboraret, cum post praeclaram Halmi illam criticam quam dicimus editionem in lucem prolatam exstitisse nemo uideretur, ad hoc primum caput de copia uerborum eorumque usu ipse me conuerti sperans fore, ut de eis disputando ad argenteae aetatis sermonem cognoscendum aliquid, quantulum id cumque esset, cum conferrem, tum ostenderem, cur omnino Quintilianus inter eius aeui scriptores esset habendus.

Atque quibus potissimum auctoribus adiutus, etsi summa rei difficultas a consilio suscepto me maxime deterruerat, tamen perfecerim, enumerabo. Ac primum illam Spaldingi[1]), uiri et doctissimi et de Quintiliano uel optime meriti, editionem omni doctrina refertam quis ignorat? Insunt tamen sat multa, quae Halmius[2]), quem unum fuisse nostrae aetatis ingenio acumineque praestantissimum audeo dicere, in illa sua editione, quam in locis laudandis secutus sum, repudiauit. Accedit denique Bonnelli[3]) lexicon Quintilianeum summa dili-

[1]) M. Fabi Quintiliani de institutione oratoria ll. XII. rec. et explan. G. L. Spalding. V. V. suppl. et ind. cont. cur. C. F. Zumpt. Lip. 1798—1829.

[2]) M. Fabi Quintiliani institutionis oratoriae ll. XII. rec. Carolus Halm, Lip. 1868—1869.

[3]) Lexicon Quintilianeum ed. Eduardus Bonnellus; ed. Spald. u. VI. Lip. 1834.

gentia conscriptum et ad tale quale suscepi opus prorsus necessarium. Nonnulla etiam, quae me adiuuarent, inueni in ephemeridibus philologicis. Dissertatio antem una, quam noui, cuius auctor simile quid sibi proposuisse uidetur, Törnebladhi de elocutione Quintiliani quaestiones, Upsal., 1858, mihi non praesto fuit. Itaque cum omnia fere in mea ipsius opera et diligentia fuissent posita, si tamen, quamquam ne accideret admodum eram sollicitus, in tanta tot uerborum copia perscrutanda alia me deceperunt, alia fugerunt, quandoquidem errare humanum est, ueniam erratorum quin inpetraturus sim, non dubito.

Disponere denique materiam ita mihi uisum est, ut primum disseram de singulis uocabulis, deinde uniuerse de generibus originibusque significationum quae tractaturus sum uerborum inmutatarum et de ratione, quae in eis usurpandis cum inter Ciceronem et Quintilianum tum inter Quintilianum et alios inferioris aeui scriptores intercedat, disputem.

Pars Prior.

Caput I.

De Quintilianeo usu quorundam uocabulorum apud Ciceronem obuiorum.

Vocabula, quae hoc capite enumerabuntur in partes orationis digesta, pleraque ordine litterarum disposui; nonnulla tamen, quae adfinitate quadam inter se coniuncta sunt, ordinis ratione posthabita tractabo.

A. De Verbis.

§ 1.

Usus ponendi simplicia eodem sensu ac ueteres composita in omnis inferioris aeui scriptores peruulgati exempla apud Q.[1]) haec extant:

1. Cludere et signare i. q. occludere et obsignare u. § 28.
2. crebrescere i. q. increb (r) escere: XI, 3, 111 gestus cum ipsa orationis celeritate crebrescet (cf. Verg. A. 12, 222 cr. sermo; Tac. A, 3, 60 cr. licentia). C. compositum usitatum, cf. or. 20, 66; opt. g. or. 4, 11; Phil.

[1]) Q. breuitatis causa pro Quintiliano omnibus cc. posui, item C. pro Cicerone.

14, 5, 12. Notandum tamen simplex fere semper temp. praesenti et a praes. deriuatis adhiberi, rarissime perfectis.

3. f e r r e i. q. efferre: X, 1, 99 Caecilium ueteres laudibus ferant. Locutioni apud recentiores tritissimae (cf. Plin. E. 8, 18; Suet. Oth. 12; Vesp. 6) neque a Liuio alienae praefert C. pluribus ll. longiorem illam efferendi laudd. (cf. de am. 7, 24; de off. 2, 10, 36; de or. 3, 14, 52).

4. f i n i r e i. q. definire. Usus uerbi finiendi pro definiendo latissime patet apud Q. Ex multis quae u. in Bonn. lex. exemplis duo adferam: II, 15, 1 (rhetorice) finitur uarie; VII. 3, 3 si finias equum. — Simile quid apud Tac. D. 38 numerus finiebatur. Hoc significatu C. semper definiendi uerbo utebatur, quod apud Q. rarissime neque saepius quam bis terue legitur.

5. p o n e r e i. q. exponere: IV, 2, 86 fere a me ponendae causae officium exigebatur, cf. VII, 2, 55 et l. Sen. patris, quem laudat Spald ad l. pr. C. dicit exponere narrationem, or. 62, 210; Horat. exp. causam, S. 1, 7, 22.

6. s e s o l a r i i. q. se consolari: I, 10, 16 singulorum fatigatio quamlibet se rudi modulatione solatur.

Duabus rebus Q. hoc enuntiato differt a C. composito semper, id est consolandi uerbo, eoque cum pronomine reflexiuo iuncto non nisi de personis uso, cf. ad Att. 12, 14, 3; Sull. 10, 29; Rosc. Com. 14, 43; de pou. cons. 7, 16.

7. s p a r g e r e i. q. dispergere: V, 7, 18 ut in oratione sparsa plerumque colligimus argumenta, quae per se nihil reum adgrauare uideantur, congregatione deinde eorum factum conuincimus. Vocabula colligendi et congregationis plane opposita uidentur esse uoci dispergendi, tamen noster simplex uerbum praefert; cf.

I, 4, 19; Tac. H. 3, 46 exercitium spargere per prouinciam. C. eodem sensu ponere solet dispergere, cf. de inu. 1, 21, 30; ib. 30, 49.

8. uanescere i. q. euanescere: IV, 3, 8 praeterea cauendum est, ne ipsa expositio uanescat. Simplex frequenter apud poetas et serioris aeui scriptores (cf. Tac. D. 10; A. 2, 40), compositum semper apud C. legitur (cf. de or. 2, 23, 95; de leg.[1]) 2, 10, 24; Tusc. 5, 30, 85).*

§ 2.

Similem significationis translationem uocabuli amplioris formae in breuioris formae uocabulum eiusdem stirpis deprehenderis in

1. ampliando, quod seriore aetate contraxit uim amplificandi, sic noster VIII, 4, 20 Hannibalis bellicis laudibus ampliatur uirtus Scipionis; cf. Mart. 8, 66. Contra C. amplificare uirtutem laudibus, de fin. 5, 24, 72; amplif. gloriam, Acad. pr. 2, 2, 5; neque uerbum ampliandi usurpat nisi de iudicio differendo in aliud tempus, cf. Nizolius lex. Ciceron. s. h. u. — Item in
2. praedicendo, in quod uerbum posteriores significationem Ciceronianae locutionis supra, antea dicere transtulerunt. Cf. III, 6, 89 sciant nihil ne in his quidem praeter tria, quae praediximus, quaeri; II, 4, 24 posterior ex praedictis locus; et passim u. Bonn. lex. Cf. Vell. 1, 4, 1; Suet. Aug. 90; Plin. H. N. 72, 16, 35. C. uerbo praedicendi omnino non utitur nisi de rebus a diuinantibus praenuntiatis, qua potestate a Q. rarissime usurpatur, cf. III, 7, 19; VII, 1, 30.

---

[1]) De scriptura huius l. ambigitur; sed. u. Halmium ad h. l. i. ed. Orell.

*) Seruare pro reseruando, quod legit Spald. VI, 1, 10 et VIII, 5, 35 (u. Spald. ad l. pr.) reiecit Halmius utroque l. auctoritate c. A. reseruare ponens.

§ 3.

Fuerunt haec eiusmodi uerba, quorum sententiae apud C. amplioribus formis earundem uocum inueniuntur expressae; sequuntur nunc ea, quorum significationes apud Q. et alios argenteae aetatis scriptores repertas C. plane diuersis uocabulis tribuit.

1. c o m p o n e r e, i. q. sedare, placare: IX, 4, 12 Pythagoreis certe moris fuit, et cum euigilassent, animos ad lyram excitare — et cum somnum peterent, ad eandem prius lenire mentes, ut, si quid fuisset turbidiorum cogitationum, componerent; III, 4, 15 concitandis componendisue adfectibus animos audientium fingere; X, 1, 119 Vibius Crispus compositus et iucundus; cf. Tac. H. 4, 50 discordias c.; Suet. Caes. 4 seditionem c. Cum his ll. cf. C. de diuin. 1, 29, 61 illam partem animi, in qua irarum existit ardor, sedare; de or. 1, 46, 202 motum (in animis) dicendo uel excitare uel sedare; or. 52, 176 Isocrates est in ipsis numeris sedatior; Phil. 1, 1, 1, discordias s.
2. d i c t a r e i. q. imperare: XI, 3, 131 ad librarios suos ita respiciunt, ut sportulam dictare uideantur. „Seruis suis librariis imperant praebendam effusis laudatoribus sportulam" Spald. ad l. l.; cf. Juu. 11, 59. Apud C. dictandi uerbi nullus alius usus extat quam pronuntiandi quae alius excipiat.
3. d i g e r e r e i. q. concoquere: X, 1, 19 ut cibos mansos ac prope liquefactos dimittimus, quo facilius digerantur; item XI, 2, 35 digestum cibum. Hic usus recentioris est latinitatis, cf. Spald. ad l. pr. et Forc. lex. s. h. u. C. eadem de re concoquendi uerbum ponere solebat, cf. de n. d. 2, 49, 124 conchas stomachi calore con.; de fin. 2, 20, 64 cibus facillumus ad concoquendum; de n. d. 2, 9, 24; 54, 136.

4. durare i. q. permanere: I, 10, 30 cum antiquitus usque a Chirone atque Achille ad nostra tempora apud omnis durauerit (studium); ib. 5, 21 inde durat ad nos; XI, 2, 8 durat prope in infinitum; et passim u. Bonn. lex. Seriores hanc locutionem: durare ad, in, quam apud C. uix inueneris, maxime adamasse lexica nube exemplorum docent.

5. exigere (exactus) i. q. perficere (perfectus): I, 9, 2 gracilitatem stilo exigere, condiscant; ib. 5, 2 haec (regula) exigitur uerbis; "h. e. perficitur, praestatur talis, qualis debet. Inde exacti commentarii X, 7, 30, exactissimum iudicium ib. 2, 74;" Spald. ad h. l. Hoc significatu uox inde a Liuio frequenter apud orationis solutae scriptores inuenitur, cf. Suet. Tib. 18; Plin. E. 8, 23. C. eodem sensu ponebat diligenter elaboratum (Br. 90, 312 causa dil. elab.) uel accuratum (Att. 13, 45, 3 accuratissimae litterae), uel perfectum (de hominibus perf. orator, de or. 1, 8, 34; 9, 35).

6. mereri i. q. consequi: IV, 1, 44 plus fauoris mereri, odii minus; ib. 2, 39 ne minus gratiae quam offensae mereamur; et passim u. Bonn. lex.; cf. Tac. D. 9 indulgentiam m.; Plin. E. 8, 13. Hac qua posteriori aeuo saepe legitur significatione uerbum alienum est a C.; u. Forc. lex. et quos laudat s. h. u. uu. dd.

7. recipere i. q. probare: X, 7, 31 in hoc genere prorsus recipio hanc breuem adnotationem libellosque; et saepissime, u. Bonn. lex.; cf. Plin. H. N. 7, 8, 29. Usus hic apud posteriores maxime deprehenditur.

8. transire i. q. effugere: IX, 4, 29 quod (uerbum), si in media parte sententiae latet, transire intentionem solet; cf. Stat. Theb. 2, 335 nil transit amantes. A C. eodem significatu ponitur uerbum fugiendi (cf. de imp. 10, 28

(nulla res), quae huius uiri scientiam fugere possit) et effugiendi (passim u. lex.).

9. u a c a t i. q. otium est: X, 1, 58 tunc et elegiam uacabit in manus sumere; I, 12, 12 non uacabit inchoare haec studia. Sic inpersonaliter usurpatum hoc u. apud C. non reperies. *)

§ 4.

Sequuntur denique ea uerba, quae Q. aut singulari aut poetica significatione primus soluta in oratione usurpasse uidetur.

1. a u d i r e i. q. subaudire: VIII, 5, 12 eras dignus ut haberes integram manum. Sic enim auditur, ut depugnares; cf. IX, 3, 58.
2. d e c l i n a r e i. q. differe, dissimilis sum: IX, 3, 38 quaedam uerborum figurae paulum figuris sententiarum declinantur. Eodem sensu Terent. Hecyr. 2. 1, 3 neque declinatam quidquam ab aliarum (mulierum) ingenio ullam reperias.
3. d u c e r e i. q. adducere: IX, 1. 21 iam uero adfectus nihil magis ducit. "Usus hic ducendi non adeo tritus pro adducendo simile quid habet in Horatii[1]) et Tibulli[2]) poculis uel aquis somnum ducentibis", Spald ad l. l.
4. s u b r i p e r e i. q. clam facere: IV, 1, 78 oratori uero quid est necesse subripere hanc transgressionem et iudicem fallere; u. l. integr. 76—79; cf. XI, 3, 39 et Spald. ad l. l.

---

*) Notari hic potest, quod quidem iam ad conuinctionem uerborum, quam syntaxin uocamus, magis pertinet, **accingi ad aliquid** (I, 12, 16), **adde quod** (I, 2, 21, et passim), **f a s t i d i r e a l i q u i d** (I, 4, 6) locutiones esse poetarum aut inferioris aeui scriptorum a C. uero alienas.

[1]) Hor. Epod. 14, 3. [2]) Tib. I, 1, 65.

5. t e n e r e i. q. obtinere, Hoc uerbum intransitiue usurpatur a Q. II, 1, 1 tenuit consuetudo — ut —; item VIII, 5, 2 cons. iam tenuit, ut —. C. inu. 2, 55, 160 dicit: in consuetudinem uenit. De Liui intransitiuo usu pro durando cf. Drakenborch ad. 4, 7, 7.

6. t r a c t a r e i. q. usurpare: XI, 1, 6 ita nec uetera aut translata aut ficta uerba in incipiendo, narrando, argumentando tractabimus; u. doctissimam Spald. adnotationem ad h. l.

B. De Substantiuis.

§ 5.

Primo loco ponam uocabula duo, quorum inmutationes significationis ualde similes sunt.

1. u a l e t u d o. C. hanc uocem simpliciter positam et in bonam et in malam partem usurpasse, Q. autem et fere omnis eius aeui scriptores semper in malam sat multa exempla docent. Cf. C. de fin. 5, 28, 84 bonum ualetudo, miser morbus; de or. 2, 11, 46 ea (fortunae bona) sunt generis — ualetudinis; de am. 2, 8 quod in collegio nostro non adfuisses, ualetudinem respondeo caussam; ad fam. 4, 1, 1 me propter ualet. non uidisses. Q. III, 6, 78 ualetudine impeditus; VII, 10, 10 medicus, quid in quoque ual. genere faciendum sit, docebit. Nolo exempla cumulare, quae plurima sunt u. Bonn. lex.; cf. Tac. H. 3, 2; A. 6, 50; Suet. Claud. 26; Plin. E. 2, 20. Si in bonam partem uocabulum intellegi uult noster, additamento semper adornat; ita bona ual. X, 3, 26; commodior ual. VI, 3, 77; contra C. mala ual. Tus. 4, 37, 80.

2. a m b i t i o. In sensum deteriorem abiit apud posteriores etiam uox ambitionis, quae C. tempore significabat

popularis gratiae captationem ad obtinendos honores neque ab eo de suis ipsius studiis usurpari non solet, sub Caesaribus autem contraxit significationem nimiae gloriae adfectationis (ehrgeiz), ita ut a nostro appellaretur "uitium" I, 2, 22: licet ipsa uitium sit ambitio; "prauum quoddam studium" II, 15, 37; "peruersa" X, 7, 21; cf. Tac. A. 15, 21; 6, 46; Iuu. 8, 135. De C. usu u. Sull. 4, 11; Plan. 18, 45; de or. 1, 1, 1, et Schütz ind. lat. Cf. inprimis Spald. ad I, 2, 22; Becker Röm. Alt. uol. II., sect. 2, p. 40. n. Idem cadit in adiect. ambitiosum, cf. Spald. ad. I, 4, 22; XI, 1, 22 et Iuu. 3, 182; Tac. Agr. 42.

3. opinio. Tertium his duobus addam uocabulum opinionis. Usupatur enim pro fama et bona quidem et mala inferiori demum aetate. Sic a nostro: XII, 1, 12 contemptu opinionis; XI, 3, 8 plus opinionis consecutum; II, 12, 5 adfert et ista res opin.; cf. I, 2, 4; IX, 2, 74 ueritus opin. iactantiae; IV, 1, 33; Liu. 45, 38; Tac. D. 10.

4. fax. Non solum de doloribus et insidiis faces usurpantur a C. (cf. Spald. ad I, 2, 25), sed etiam pro incitamentis ad cupiditates accendendas aptis (cf. Kühner ad Tusc. II, 25, 61); inferioris demum aeui scriptoribus usitatum esse uidetur uerbum pro stimulis, quibus quis ad bonam rem suscipiendam commoueatur; cf. I, 2, 25 id nobis acriores ad studia dicendi faces subdidisse; Sil. P. 6, 332 fax mentis honestae gloria; Ou. P. 1, 7, 28 hortator studii faxque mei.

§ 6.

Aliusmodi ac de qua diximus significationis differentiam exhibet

1. a d u o c a t u s i. q. causidicus. Significabatur enim hac uoce tempore C. non is, qui causam agebat, sed is solus, qui aduocabatur, ut consilio et praesentia aut quacumque alia ratione causam in iudicio iuuaret, cf. C. de or. 2, 74, 301; Cluent. 40, 110; Phil, 1, 7, 16. Aetate Q. deinde translata est uox ad significandum ipsum patronum uel causidicum, qui in iudicio defendit reum; cf. XII, 1, 25 – non inutilem sane litium aduocatum, quem denique causidicum uulgo uocant; XI, 1, 59 quando ipsos loqui, quando aduocati uoce uti deceat; III, 8, 51 controuersias dicunt ita ut aduocati, et alibi, u. Bonn. lex. Cf. Plin. E. 7, 22; Suet. Claud. 15. Neque prior sig. prorsus aliena est a nostro, cf. XII, 3, 2; XI, 3 132; V, 6, 6.
2. a u c t o r i. q. scriptor. Auctor sine ullo discrimine pro scriptore apud huius aeui maxime scriptores usurpari coepit; cf. noster Ep. ad Tryph. 1 tempus et legendis auctoribus, qui sunt innumerabiles, datum est; X, 1, 24 neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quae optimi auctores dixerint utique esse perfecta, et passim u. Bonn. lex. De Cicer. usu u. Ernesti cl. Ciceronian.
3. c u l t u s i. q. ornatus: III, 8, 58 in uerbis cultum adfectauerunt; XI, 1, 38 quanto plus nitoris et cultus demonstratiuae materiae permittant. Apud C. cultus legitur de corpore aut animo usurpatus, de oratione ornatus et nitor; cf. or. 24, 80 orn. uerborum; ib. 39, 134 orn. orationis. Cf. Tac. D. 20, 23.
4. e x c e s s u s i. q. digressio: III, 9, 4 egressio uero uel, quod usitatius esse coepit, excessus; cf. Tac. D. 22; Plin. E. 9 26; u. egressio § 7, 2. A C. translate usurpatur hoc u. de morte, cf. de fin. 3, 18, 60; de r. p. 2, 30, 52.
5. h a b i t u s i. q. uestitus. Apud huius aeui scriptores saepe reperitur hoc uocab. pro uestitu dictum. Sic

noster II, 17, 20 permutato cum uxore habitu; XI, 1, 3 h. triumphalis; cf. Suet. Caes. 58; Ner. 13; Juu. 3, 177.

6. ordo i. q. narratio; IV, 2, 51 si in longum exierit ordo rerum, erit non inutilis in extrema parte commonitio, quod Cicero etiam in breui narratione fecit; "ita saepius Velleius et noster", Spald. ad IV, 3, 8; cf. ib. 2, 49; 73; 128.

7. sensus i. q. uerborum conprehensio, sententia: IX, 4, 61 sensus omnis habet suum finem poscitque naturale interuallum, quo a sequentis initio diuidatur; et saepius u. Bonn. lex.; cf. Tac. D. 20. C. uoce sententiae eodem sensu utebatur, cf. de opt. g. or. 2, 5; Phil. 13, 10, 22.

8. uerecundia i. q. reuerentia: VI, 3, 33 sed quidam ita sunt receptae auctoritatis ac notae uerecundiae, ut nocitura sit in eos petulantia. "Dicitur pro reuerentia, et haec ipsa passiue intellegitur ea, qua coluntur ii, qui sunt notae uerecundiae" u. Spald. ad l. l., et quos laudat uu. dd., cf. etiam VI. 3, 64; Liu. 4, 45, 8.

§ 7.

De quibus supra dixi nominum usus omnibus fere aliis argenteae aetatis communes sunt; enumerabo nunc quaedam aut singulari aut poetica significatione apud primum nostrum obuia et primum quidem ea, quorum ab eisdem stirpibus deriuatae sed ampliores formae etiam apud C. leguntur (cf. § 1, 1—8).

1. finis et finitio i. q. definitio: II, 15, 3 est igitur frequentissimus finis, rhetoricen esse uim persuadendi; ib. 17, 41 siue ille ab omnibus fere probatus finis obseruatur artem constare ex perceptionibus consentientibus et coercitatis ad finem uitae utilem. Habemus hic duplicem usum uocis finis uno in enuntiato, primum

ἀντὶ τοῦ ὁρισμοῦ uel *ὅρου*, alterum *ἀντὶ τοῦ σκοποῦ*. C. haec vocis finis potestas ignota. Definitionis uocabulum cum apud Q. duobus locis, tum finitionis saepissime reperitur: VII, 3, 2 finitio est rei propositae propria et dilucida et breuiter comprensa uerbis enuntiatio; et passim, u. Bonn. lex. Cf. cum l l C. definitio uocis definitionis de or. 1, 42, 189: est enim definitio earum rerum, quae sunt eius rei propriae, quam definire uolumus, breuis et circumscripta quaedam explicatio. Simplex abest a C., qui semper composito uti solebat.

2. e g r e s s i o e t e g r e s s u s i. q. digressio: IV, 3, 12 hanc partem *παρέκβασιν* uocant Graeci, Latini egressum uel egressionem, cf. § 6, 4. Apud C haec uocabula proprie de actu egrediendi dicuntur.

3. t e x t u s i. q. contextus: IX, 4, 13 quantum interest, sensus idem quibus uerbis efferatur, tantum, uerba eadem qua compositione uel in textu iungantur uel in fine claudantur. Cf. Halm. et Spald. nota crit. ad h. l.

4. o p u s. Singulari ui opus non paucis sane locis a nostro ponitur pro toto genere alic. rei: III, 7, 28 quamquam omnes tres status cadere in hoc opus (laudatiuum genus) possint; X, 1, 123 Supersunt, qui de philosophia scripserunt, quo in g e n e r e paucissimos adhuc eloquentes litterae Romanae tulerunt. Idem igitur M. Tullius, qui ubique, etiam in hoc o p e r e Platonis aemulus extitit.

5. u e n u s i. q. uenustas: X, 1, 79 Isocrates — omnis dicendi ueneres sectatus est; X, 1, 100 sermo ipse Romanus non recipere uideatur illam solis concessam Atticis uenerem. Ex poetis sumptus plane est hic usus uerbi, quem primus in oratione usurpasse uidetur noster; cf. Hor. A. p. 320; C. 4, 13, 17. A C. eodem sensu ponitur uenustas uel lepor, cf. de or. 1, 57, 243; or. 27, 96.

6. u i s c e r a i. q. liberi: VI, pr. 3 nonne igitur optimum fuit, infaustum opus, et quidquid hoc est in me infelicium litterarum, super immaturum funus consumturis uiscera mea flammis inicere —? Cf. Ou. Her. 11, 118; Met. 6, 651, et inprimis Spald. ad l. l

C. De Adiectiuis.

§ 8.

1. a m b i t i o s u s u. § 5, 2.
2. b e a t u s i. q. abundans, secundus: X, 1, 61 beatissima rerum uerborumque copia; V, 14, 31 beatissimi amnes; cf. Tac. D. 9; H. 3, 66. Contra C., qui hanc uocem in rerum appellationibus non usurpare uidetur, dicit de r. p. 2, 19, 34: abundantissimus amnis.
3. c i u i l i s i. q. comis: III, 8, 59 ciuili et humano ingressu mereri adsensum deliberantis uelit. Cf. Spald. ad. h. l. Hac potestate legitur apud omnis fere inferioris aeui scriptores; u. Forc. lex. s. h. u.
4. e x a c t u s u § 3, 5.
5. e x p o s i t u s i. q. tritus, communis: X, 5, 11 illud uirtutis indicium est, fundere quae natura contracta sunt, augere parua, uarietatem similibus, uoluptatem expositis dare et bene dicere multa de paucis. Cf. Spald. ad. II, 5, 19; Juu. 7, 54 — uatem, — qui nihil expositum soleat deducere, nec qui communi feriat carmen triuiale moneta; Sen. E. 55. C.: omnium communia et contrita praecepta, de or. 1, 31, 137.
6 m a n s u r u s i. q. stabilis, perpetuus: XII, 10, 49 in agendo clarissimos quosdam nihil posteritati mansurisque mox litteris reliquisse. Ita saepe apud poetas et Tac.; cf. Ver. Aen. 3, 86; Ou. A. am. 2, 242; Tac. H. 4, 80; 2, 49; D. 9; et duraturus D. 34; 22.

7. o t i o s u s i. q. inutilis, inanis: I, 1, 35 ii quoque uersus, qui ad imitationem scribendi proponentur, non otiosas uelim sententias habeant.* Cf. Tac. D. 40; Plin. E. 10, 62. Hac significatione uocabulum apud C. non legitur.
8. s c r u p u l o s u s i. q. tenuis, subtilis: IX, 1, 7 quo modo ironia alia sit tropi, alia schematos, suo loco reddam: nomen enim fateor esse commune et scio quam multiplicem habeant quamque scrupulosam disputationem; cf. Plin. E. 3, 5. C. hoc adiect. non usurpasse uidetur nisi proprie pro aspero, cf. Tusc. 4. 14, 33 (u. Kühner n. cr.).
9. s u m m u s i. q. extremus: X, 1, 21 orator ea in prima parte actionis dicit, quae sunt in summa profutura. Usus hic uocis maxime poetis usitatus, cf. Verg. A. 2, 324; Hor. E. 1, 1, 1; Ou. Pont. 4, 9, 59; Juu. 1, 5.
10. s u p i n u s i. q. ignauus, neglegens: X, 2, 17 otiosi et supini (oratores); IX, 4, 137 tarda et supina compositio; cf. Juu. 1, 66 multum referens de Maecenate sup.; Mart. 6, 42 non adtendis, et aure supina iamdudum quasi neglegenter audis. Poeticam hanc uerbi potestatem primus noster in oratione usurpasse uidetur; apud C. proprie de corpore dictum reperitur, cf de diu. 1, 53, 120.

§ 9.

1. D e n s u s. Singularis est usus huius uocis apud Q.: usurpat enim eodem sensu ac C. pressum: X, 1, 73 et breuis et semper instans sibi Thucydides; cf. ib. 76 et Spald. ad h. l. C. de or. 2, 13, 59: Thucydides ita uerbis aptus et pressus. Cf. § 21, 28.

---

*) VIII, 2, 19 Halmius auctoritatem c. Ambr. secutus uitiosum pro otioso scripsit, cf. Spald. ad h. l.

2. p e d e s t r i s. Primus etiam Q. adiect. pedestrem translate pro soluto dixisse uidetur uertens Graecorum πεζὸν λόγον: X, 1, 81 multum enim supra prosam orationem, quam pedestrem Graeci uocant, surgit. Cf. etiam Hor. S. 2, 6, 17; C. 2, 12, 9. De prosa (orat.) u. c. II. § 21, 103. C. uel orationem simpliciter positam uel orationem solutam dicere solet, cf. de or. 3, 48, 184; or. 21, 70.

§ 10.

Sequuntur denique quaedam adiectiua apud poetas et inferioris demum aetatis scriptores absolute potestatibus substantiuorum posita.

1. a m a t o r i u m: VII, 8, 2 marito uxor amatorium dedit; cf. Sen. E. 9; Plin. H. N. 28, 8, 27.
2. p e n e t r a l i a (penetrale): XII, pr. 3 ex ipsis sapientiae penetralibus; VI, 2, 25 huis loci aperire penetralia. C.: abditi et penetrales foci, de har. r. 27, 57; cf. de n. d. 2, 27, 68. Penetrale uel penetralia uox est usitatissima poetis et serioribus, u. Forc. lex. s. h. u.
3. s e c r e t u m (secreta): X, 3, 30 ille tantus amator secreti Demosthenes; I, 4, 5 dulcis secretorum comes (ars grammatica); XI, 1, 30 animi secreta detegit oratio. Multiplex hic usus poeticae uocis apud omnis argenteae aetatis scriptores tritissimae (u. lexica) alienus est a C., qui uocabulo non usus nisi ui participii cum casu iuncti significationes quas posteriori aeuo contraxit, omnis diuersis uerbis (solitudo, recessus, occultum) tribuit. Proprium iam Q. usum deprehenderis IX, 3, 5 (figurae) secretae et extra uulgarem usum positae; ubi pro selecto, eximio dictam esse uidetur.
4. s t u d i o s u s. Hoc uocabulum omnes seriores usurpare absolute consueuerunt ad eum, quem C. dicendi uel

eloquentiae studiosum uocat, designandum. Sic noster: XII, 10, 62 nota iam studiosis haec lumina; X, 1, 45 facile est studiosis iudicare; et saepissime u. Bonn. lex.; cf. Tac. D. 21; Plin. E. 8, 13; De C. usu cf. de or. 1, 59, 251.*

D. De Pronominibus.

§ 11.

1. Cuiusque i. q. cuiuscumque u. § 12, 14.
2. nullo i. q. nulla re. Frequens est Q. et omnibus fere eius aeui scriptoribus hic usus pronominis ui substantiui neutri generis positi. Cf. V, 14, 14 Epichirema autem nullo differt a syllogismis, nisi —, II, 16, 12 deus — nullo magis hominem separauit a ceteris — quam —; II, 4, 13 nullo magis gaudent; Tac. A. 3, 15; Sen. B. 2, 25. Apud Hor. et Liu. genitiuum c. huius uocis eadem ratione inuenies usurpatum; cf. Hor. A. p. 324; Liu. 2, 59. A C. hoc genus dicendi alienum est.
3. nullus non i. q. quisque, omnis. Sic dictum saepissime reperitur hoc pron. apud nostrum et Suetonium. Cf. III. 6, 7 quaestio nulla non habet utique statum —; IX, 4, 83 horum pedum nullus non in orationem uenit; et alibi, u. Bonn. lex.; Suet. Aug. 32; Tib. 66; Nero 16, et passim; Mart. 8, 20. C. haec formula non usitata est.
4. quicumque. Quicumque pronominis indefiniti uim contraxisse uidetur inferiori demum aeuo. Sic noster: I, 10, 35 numerorum notitia cuicumque — erudito necessaria est; II, 21, 1 sermo quacumque de re compositus dicatur oratio; et passim, u. Bonn. lex. Cf. § 12, 15; et Bonn. praefatio ad X. libr.

* Et C. uidetur absolute usurpare de opt. g. or. 5, 13, sed notandum uerbum dicendi breuissimo interuallo supra positum.

5. u t q u i. Et a nostro dicitur haec locutio ex usu serioris temporis scriptorum pro Ciceroniana quippe qui, utpote qui. Ita: X, 1, 55 Arati materia motu caret, ut in qua nulla uarietas; item ib. 2, 13, et saepius u. Bonn. lex. Cf. Süpfle, Anleitg. ed. II., pars II., § 26, n. 3, p. 34.*

E. De Aduerbiis.

§ 12.

Saepius cum uidimus Q. usu uerborum et nominum a ueterum consuetudine differre, tum maxime apparet eius aetatis dicendi genus ex particulis usurpatis.

Primo loco ponam duo maxime notas d e m u m e t i n t e r i m.

1. d e m u m. Valde frequens est Q. et aliis eiusdem aeui usus huius aduerbii pro tantum, dumtaxat, temporis significatione oblitterata. Cf. I, prooem. 3 — plus quam inponebatur oneris sponte suscepi, simul — simul ne uulgarem uiam ingressus alienis demum uestigiis insisterem; X, 6, 5 Sed si forte aliqui inter dicendum offulserit extemporalis color, non superstitiose cogitatis demum est inhaerendum; et saepissime, u. Bonn. lex. Cf. inprimis Spald. ad l. pr.; Suet. Aug. 24; Traian. ad Plin. E. 10, 33. Reperitur etiam n o n d e m u m pro n o n t a n t u m: VII, pr. 1 neque enim ea demum, quae ad docendum pertinent exsecuti sumus, uerum etiam motus animorum tractauimus; cf. IX, 2, 105. Hic usus particulae C. nondum usitatus, quamquam simillimus est, quem inueni de or. 2, 30, 131: sed hi loci ei demum

---

* Monendum pron. poss. pro anaphorico fere semper usurpasse Q. locutione s u i t e m p o r i s (aetatis), cf. XI, 1, 10; VI, 1, 47; IX, 2, 102; X, 1, 54; ib. 72; 38; rarissime legi e i u s t e m p o r i s, cf. III, 7, 5.

oratori prodesse possunt, qui est uersatus in rebus uel usu; cf. etiam Kühner ad Tusc. V, 37, 107.

2. i n t e r i m. Duplex est signifatio huius aduerb. apud Q. et eius aequales; saepe enim eodem sensu atque interdum positum est et semel et bis et respondentibus aliis particulis ut interdum, nonnumquam, saepe, semper: cf. I, 1, 8 imperiosi atque interim saeuientes; ib. 7, 11 quae (o littera) i n t e r i m longa et breuis — i n t e r i m pro syllaba posita est; VI, 2, 12 πάθος atque ἦθος esse i n t e r i m ex eadem natura —, i n t e r d u m diuersa inter se; IV, 5, 20 quaedam i n t e r i m nos inuitis litigatoribus simulandum est dicere —: n o n n u m q u a m subsistere: s a e p e conuertenda ad ipsos oratio; II, 1, 1 Latinis quidem s e m p e r, sed etiam Graecis i n t e r i m. Veterum pro interea usum agnoscas: I, 12, 6 omittamus interim, quae didicimus? ib. 5, 6 interim, uitium, quod fit in singulis uerbis, sit barbarismus; et alibi, u. Bonn. lex.; cf. C. de or. 2, 86, 353.

Jam restat proprius Q. usus huius part. initio enuntiati pro t a m e n, q u i d e m positae: III, 8, 44 interim si quis bono inhonesta suadebit, meminerit non suadere tamquam inhonesta, — sed dandus illis deformibus color; I, 5, 29 quod alias uitium, interim alias rectum est. Cf. cum interim § 19, 4.

3. a b u n d e. Part. haec ad uim augendam aduerbiis et adiectiuis adiuncta reperitur: X, 1, 25 abunde similis; XI, 1, 36 ab. disertus; XII, 11, 19 abunde satis; cf. Hor. S. 1, 2, 51; Sall. J. 14; Liu. 8, 29. Apud C. uocabulum uerbis adpositum, pro abunde s a t i s s u p e r q u e inuenies.

4. a d h u c. Adhuc comparatiuo coniunctum ualde frequens est omnibus recentioribus; sic saepissime noster: II, 4, 13 adhuc melius; I, 5, 22 a. difficilior; post positum

VII, 2, 14 liberior a. disputatio; et passim u. Bonn. lex. Cf. Tac. G. 29; Suet. Nero 10; Sen. E. 85, 24; et Spald. ad I, 5, 22; Schwarz Turs. p. 47. A nostro etiam non raro ita ponitur, ut ad praesens tempus non relatum sit, sed significet eo etiam tempore: I, 8, 2 C. Caesarem praetextatum adhuc accepimus dixisse; cf. I, 2, 27; et alibi, u. Bonn. lex.

5. a l i o q u i (n). Multiplex est usus apud nostrum part. huius. Significationibus iam apud ueteres repertis praetermissis usurpatur etiam pro omnino: X, 3, 13 is fuit Julius Florus, in eloquentia Galliarnm — princeps, alioqui inter paucos disertus et dignus —; cf. II, 1, 4; ib. 15, 9; Tac. A. 4, 37; pro praeterea: IV, pr. 6 cuius mihi religionis non haec sola ratio, quae maxima est, sed alioqui sic procedit ipsum opus, ut —; item II, 15, 9; V, 9, 11, et alibi.

6. c e r t e. Certe noster pro quidem ponere solebat in huiusmodi enuntiatis, quibus sententia aliqua exemplo e rerum memoria aut ex usu communi petito confirmanda erat: X, 6, 4 eo tandem peruenit, ut is, cui non refragetur ingenium, — tantum consequatur, ut ei tam quae cogitarit quam quae scripserit — in dicendo fidem seruet. Cicero certe Graecorum Metrodorum Scepsium et Empylum Rhodium — tradidit quae cogitauerant ad uerbum in agendo retulisse; cf VI, 2, 3; XII, 1, 43.

7. l o n g e e t m u l t u m. Aduerb. haec a poetis et recentioribus comparatiuis pro multo coniunguntur. Sic noster l o n g e: VI, 4, 21 l. facilior; ib. 3, 13 l. uenustiora; et passim, u. Bonn. lex. Cf. Verg. A. 9, 556; Vell. 2, 74, 1; m u l t u m: X, 1, 94 m. eo est tersior; cf. Stat. Theb. 9, 559; Juu. 10, 197. C. ad comparatiui

uim augendam semper fere multo usurpat (cf. Kühner ad Tusc. V, 36, 104) rarissime multum.*

8. m o x. In enumerando mox pro deinde a nostro dicebatur: I, 2, 29 imitari primum, mox uincere; ib. 9, 2 primum — mox — tum; et saepius, u. Bonn. lex. Sequioris etiam est latinitatis aduerb. hoc particulae etiam (et) adiunctum ponere; cf. I, 1, 21 corporum mox [etiam] fortissimorum. Ita Spald., sed omisit "etiam" Halm. auctoritate optt. cc. Alienum igitur a nostro uidetur hoc genus dicendi Tacito quidem et poetis usitatum (cf. Tac. D. 10; A. 6, 51; Juu. 14, 161).

9. n o n n i s i. Hae particulae (non, nisi) inter se coniunctae aduerbii uim contraxerunt inferiori demum aeuo. Cf. nost. X, 1, 20 ac diu nonnisi optimus quisque legendus est. Cf. etiam Ou. Tr. 3, 12, 36. Apud C. fere semper aliis uocabulis interpositis ad diuersas enuntiati partes pertinentes leguntur.

10. o l i m. Olim apud recentiores passim ponitur pro iamdudum. Ita nost. IX, 3, 87 Olim plura de figuris quam necesse erat, et adhuc erunt, qui putent esse figuram —; cf. Sen. E. 77; Plin. 86 N. 1, 11; Tac. A. 12, 66; Juu. 3, 163. Alienum etiam est a C. hoc aduerb. de futuro tempore usurpare ut noster X, 1, 94: sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur; cf. Plin. Pan. 15. Usus hic poetis maxime frequentatus, u. lexica.

11. p a r u m. Aurea aetate uocabulo parum significabatur minus quam satis, non satis et opponebatur nimium (cf. Kühner ad Tusc. IV, 17, 39), argentea usurpabatur etiam pro paulum, non multum (cf. VIII, 3, 5 Sed ne causae quidem parum conferat idem hic orationis ornatus; cf. Sen. E. 116) et opponebatur multum, nihil

*) De or. 3, 24, 92 multum maius; sed hic sine dubio e Graeco more (cf. πολύ μεῖζον) casu et genere comparatiui inductus.

(cf, III, 1, 5 parum mellis et absinthi multum; cf. Plin. Pan. 20).

12. p o r r o Haec part. frequenter uim quandam opponendi habet apud nostrum: III, 3, 5 inuentioni iudicium subnecterent, quia primum esset inueniri, deinde iudicare. Ego porro ne inuenisse quidem credo eum, qui non iudicauit; cf. Spald. ad II, 3, 5 et I, 5, 46. Ita saepissime noster e g o p o r r o, n o s p o r r o, u. Bonn. lex.; cf. Juu. 6, 240.

13. p r o t i n u s. Aduerb. hoc apud nostrum ualde frequens aliis particulis a, c u m, u t, p o s t coniunctum alienum esse a C. uidetur, sed usitatissimum est serioribus. Cf. IV, 1, 24 pr. a petitore; I, 1, 3 protinus u t erit parens factus; V, 13, 26 protinus c u m quadam defensione; I, 1, 35 protinus p o s t interpretationem; cf. Plin. H. N. 20, 21, 84; Vell. 2, 104, 3. Ponitur etiam pro simul: II, 15, 34 nam et orationis omnis uirtutes semel conplectitur et protinus etiam mores oratoris; cf. V, 14, 1; VIII, 3, 9.

14. q u a n d o q u e. Quandoque pro quandocumque non raro a scriptoribus esse positum docent Gronouius et Drakenborch. ad Liu. 1, 31, 4 et Mützell. ad Curt. 7, 39, 9 p. 707 (cf. Tac. D. 13; Suet. Caes. 81; Juu. 2, 82). Eo minus dubito cum Spaldingio VII, 8, 6: non est scriptum, ut quandoque rapta optet, scripturam omnium praestantissimorum cc. (A. M. S. quandoque, G. quantoque*; Bn. lacuna hic extat, cf. Halm. praef. p. VII) amplecti, Badi coniecturam q u a n d o c u m q u e, quam Halm. miror accepisse, repudiare. Accedit quod omnibus etiam Halmio constat Q. I, 3, 11: sunt etiam nonnulli acuen-

*) Hanc scripturam c. satis praestantis (u. Halm. praef. p. VIII.) facillime ex quandoque, uix ex quandocumque fluxisse qui dubitetur, non uideo.

dis puerorum ingeniis non inutiles lusus, cum positis inuicem cuiusque generis quaestiunculis aemulantur, cuiusque pro cuiusqumque (quod et c. L. praebet) dixisse. Itaque mihi persuasum habeo hanc part. quandoque loco nostro esse restituendam, et ut aliis recentioris aeui scriptoribus sic et nostro tribuendum hunc eius usum pro quandocumque. Ceterum etiam notandum cum illud tum et hoc esse ἅπαξ εἰρημένον.

15. ubicumque. Huius aduerb. usus latius patet apud Q. quam apud C., a quo fere in enuntiatis relatiuis adhibetur. Usurpatur enim a nostro etiam pro indefinitiuo: X, 7, 28 quidquid loquemur ubicumque.

16. utrimque. Utrimque non de loco, sed de diuersis in causis partibus dictum nostro usitatum alienum est a C. Cf. X, 5, 20 causas utrimque tractet; V, 10, 81 alia sunt non necessaria, uel utrimque uel ex altera parte; et passim, u. Bonn. lex. Cf. Hor. E. 1, 18, 9; Tac. H. 1, 14.

§ 13.

Dicendi uerbo adiunctum ponitur a nostro:

1. diutius (diu) pro pluribus (multis) uerbis h. e. accuratius: I, 10, 29 haec diutius forent dicenda; VI, 4, 14 quo saepius diutiusque dicatur; cf Tac. D. 25; A. 12, 6;
2. fortius pro aptius ad persuadendum, efficacius, ut ita dicam: II, 12, 1 fortius dicere uideantur indocti; ib. 9 pronuntiatione quoque famam dicendi fortius quaerunt; u. l. integr. 9–11. Usurpatur hoc uocabulum etiam pro confidenter, cf. Spald. ad V, 13, 5.

§ 14.

Singulari usu dicitur:

1. maxime ex Graeco more cum numeralibus iunctum: V, 14, 5 maxime quinque; cf. Spald. ad VI, 3, 22;

2. p r o x i m e per ellipsin quandam pro proxime ad ueritatem h. e. uerissime: VI, 2, 20 ut proxime utriusque differentiam signem; cf. Spald. ad h. l.

§ 15.

Sequioris denique est latinitatis
S p o n t e sine pron. possessiuo ponere ut nost. XII, 10, 79 omnia sponte proueniunt; IX, 4, 147 numeri sponte fluxisse uideantur; et alibi, u. Bonn. lex. Cf. Tac. A. 1, 30. Legitur tamen et s u a sponte VII, 2, 24; sp. n o s t r a III, 6, 8, ubi de hominibus non de rebus agitur.

F. De Praepositionibus.

§ 16.

Duae illae singulari significatu posterioris aetatis scriptorum propriae eisque usitatissimae praepositiones sunt circa et c i t r a.

1. C i r c a. Valde uarius est usus huius part. apud nostrum et ceteros recentiores. Ponitur enim translate pro in, d e , a d , e r g a et aliis. Cf. II, 16, 14 c. quae omnia multus hominibus labor; III, 11, 5 c uerba dissensio; XI, 1, 57 decoris custodia circa eos, contra quos dicimus; VIII, 3, 18 apta c. (res) minores; X, 1, 52 utiles c. praecepta sententiae; item c. uerbis iunctum: Prooem. 20 C. ima subsistere; I, 5, 34 c. hoc disputatum est; VII, 1, 54 c. patrem quaerimus; et saepissime, u. Bonn. lex. A nostro dicitur etiam eodem sensu ac Graecorum *κατὰ* de aetate alic. II, 4, 41 c. Demetrium Phalerea; cf. Spald. ad. h. l. Usurpatur denique absolute IX, 2, 45 omnia circa fere recta sunt; cf. X, 7, 16; XII, pro 2. Hi usus omnes peruulgati sunt omnibus serioribus. C. autem circa de aliis rebus quam proprie de locis dictum usurpare non solet.

2. citra. Citra pro sine, praeter saepissime utitur noster ex usu omnium inferioris aeui scriptorum. Cf. I, 4, 4 neque citra musicen grammatice potest esse perfecta; XII, 6, 4 plus usus sine doctrina, quam citra usum doctrina ualet; et passim u. Bonn. lex. C hanc. part. non ponere solebat nisi de loco.
3. a (b). Part. haec eodem fere sensu ac post dicta uidetur X, 5, 17: ne ab illa, in qua prope consenuerunt, umbra uera discrimina uelut quendam solem reformident; cf. XI, 3, 22; I, 6, 25. Cf. etiam Ou. M. 4, 329; Plin. H. N. 14, 7, 9; u. Schwarz Turs. p. 7; cf. Homer Ilias Θ 53 s.: *Οἱ δ'ἄρα δεῖπνον ἕλοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί ῥίμφα κατὰ κλισίας, ἀπὸ δ' αὐτοῦ θωρήσσοντο*; cf. protinus § 12, 13.

§ 17.

Hac paragr. enumerabo quarundam praepositionum certis uocabulis coniunctarum usus singulares.

1. ante omnia. In enumerando saepissime legitur ante omnia pro primum: IV, 2, 52 credibilis autem erit narratio ante omnia, si —; deinde si —; III, 9, 6 ante omnia — deinde — tum — postremo; et passim, u. Bonn. lex. Cf. Spald. ad IV, 2, 4.
2. cum eo quod. Hac formula noster in transitu, ubi C. accedit quod ponebat, aliquando utebatur: XII, 10, 47 cum eo quod, si —, eadem speciosiora quoque sint quae honestiora; cf. Spald. ad II, 4, 30. De X, 7, 13 u. Halm. n. crit.
3. ex abundanti. Locutio haec recentioribus usitata reperitur apud nostrum IV, 5, 15 .addit ex abundanti; V, 6, 2; VIII, 3, 88; cf. Spald. ad. l. l.*

*) Usum praep. ex ualde frequentat noster: cf. ex integro, quod saepissime legitur, rarissime de integro; ex professo; ex pari, et alia. Idem notari potest de usu praep. gratia, quam significatu causa et ante et post substant. positam saepissime solet usurpare.

4. in quantum. In quantum (in tantum) pro simplici quantum (tantum) usurpare poetarum et recentioris temporis est ratio dicendi. Sic nost. II, 10, 4 in quantum maxime potest. Cf. Ou. M. 11, 71; Vell. 1, 9, 3. Sen. de ben. 6, 23.
5. in summa. Hac forma pro ad summam ueterum in argumentis uel dictis breuiter comprehendendis ex inferioris aetatis usu utitur noster IX, 2, 72 in summa sic maxime iudex credit figuris, si nos putat nolle dicere; XII, 8, 11 in summa optimus est in discendo patronus incredulus; cf. Weidner ad Juu. 3, 79.
6. inter paucos. Formula haec ad uim adiectiui augendam usurpata aliena esse uidetur a C. Cf. nost. X, 3, 13 inter paucos disertus; cf. etiam Mützell. ad Curt. III, 27, 8 p. 125.
7. intra — quam, u s. quam § 19, 13.
8. per quae (quod). Usitatum est Q. instrumenta, quibus quid efficitur, praepositione per pronomini singulari aut plurali neutri generis coniuncta indicare; ita X, 1, 87 in iis, per quae nomen est adsecutus; V, 10, 32 per quod perire homini necesse est; V, 14, 32 antiquis per hoc similes; et alibi u. Bonn. lex.
9. propter quod (quae). Haec praepositio pronomine relatiuo sequente frequenter in transitu pro Ciceroniano quam ob rem a nostro adhibetur: X, 7, 6 quisquis autem uia dicet, ducetur ante omnia rerum ipsa serie uelut duce; propter quod homines etiam modice exercitati facillime tenorem in narrationibus seruant; cf. ib. 1, 61; 5, 23; et passim, u. Bonn. lex. Cf. Juu. 8, 41.*
10. sine dubio. Sine dubio saepe a nostro prorsus eodem sensu ac quidem ponitur. Cf. I, 6, 12 quaedam sine

*) Cf. praeter id quod quod nonnullis ll. apud nostrum legitur pro praeterquam quod; sic X, 1, 28; 3, 6.

dubio conantur eruditi defendere; cf. X, 1, 51; et inprimis Spald. ad l. l.

§ 18.

Graecorum ex more dicitur:

1. ad aliquid eodem sensu ac πρός τι I, 6, 13 cum interrogantur cur aper apri et pater patris faciat, illud nomen positum, hoc ad aliquid esse contendunt; cf. Spald. ad h. l.;
2. post tempus eodem significatu ac post aliquod tempus XI, 2, 17 cum in loca aliqua post tempus reuersi sumus; cf. Spald. ad h. l.

G. De Coniunctionibus.

§ 19.

1. Aliquando — aliquando ex more sequioris aetatis ponitur pro modo — modo: V, 13, 58 praeparatio quoque aut confirmatio aliquando totius causae est, aliquando partium; VIII, 5, 4 aliquando — aliq. — nonnumquam; IV, 2, 83 aliquando -- interim — interim Cf. Plin. H. N. 17, 28, 262; Sen. Q. N. 2, 36, 2,
2. an. Haec part. in interrogatione indirecta pro num posita apud recentiores ualde frequens est. Cf. I, 5, 19 potest quaeri an in scripto sit uitium; et saepissime u. Bonn. lex. Cf. Mützell. ad Curt. 4, 13, 16 p. 328 s.; Sen. E. 58, 29; Plin. E. 8, 14, De usu C. u. Süpfle Anleitg. ed. II., pars II., § 44, 3.
3. aut — aut. Aut - aut satis mire poni a nostro uidetur non disiunctim sed coniunctim pro et et III, 5, 1: Omnis autem oratio constat aut ex iis, quae significantur, aut ex iis, quae significant, id est rebus et uerbis; cf. VIII, 3, 15; Tac. A 12, 12; et frequens

usus partt. uel — uel pro et — et; u. Spald. ad II, 20, 2. Aut — aut — uel ex usu argenteae aetatis non admodum raro inter se respondent, cf. VII, 4, 29; et alibi, u. Bonn. lex. Cf. Tac. H. 2, 76. Spaldingi aut potius pro Ciceronian. uel potius, V, 10, 18 repudiauit Halm. ac potius ponens.

4. Cum interim indicatiuo coniunctum apud nostrum eodem fere significatu dictum est atque apud ueteres quin etiam. Cf. X, 1, 18 pudent enim dissentire, et uelut tacita quadam uerecundia inhibemur plus nobis credere, cum interim et uitiosa pluribus placent et a conrogatis laudantur etiam, quae non placent; cf. ib. 111, et Bonn. lex. s. u. cum.

5. Dum — non ex poetarum more ponitur a nostro pro dummodo non. Ita X, 3, 7: interim tamen, si feret flatus, danda sunt uela, dum nos indulgentia illa non fallat; item XII, 10, 48; cf. Spald. ad. I, 12, 17. Dummodo apud Q. non extat.

6. Etiamsi non — tamen (sed) a Q. usurpatur pro Ciceroniano etiamsi — non — tamen uel etsi non — tamen. Cf. II, 20, 6 etsiamsi non perfecte, tamen —; IV, 2, 21 etsiamsi non erit docendus, sed —. Etsi C. satis frequens Q. non est usitatum.

7. ideoque. Haec part. ex more sequioris latinitatis in transitu pro itaque posita saepissime apud nostr. legitur. Cf. Pro. 24—25 nam plerumque nudae illae artes nimiae subtilitatis adfectatione frangunt atque concidunt quidquid est in oratione generosius —. Ideoque nos non particulam illam etc.; et quam plurimis ll., u. Bonn. lex. Cf. Tac. D. 31; G. 26.

8. Licet, quod C. rarissime pro etsi usurpabat, ita dictum saepissime reperitur apud Q. Cf. II, 2, 8 licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet

tamen uiua illa uox alit plenius —; et passim, u. Bonn. lex. Cf. Schwarz Turs. p. 443.

9. n e c. Hanc part. noster non raro eodem sensu ponebat atque ueteres ne-quidem. Sic IX, 2, 67 quod in foro non expedit, illic nec liceat; cf. IV, 2, 93; V, 10, 86; et Spald. ad XII, 3, 6.

10. N e c n o n coniunctim pro e t usurpare a C. ratione dicendi prorsus alienum nostro et aliis recentioris aeui ualde frequentatum est. Cf. III, 7, 18 adferunt laudem liberi parentibus, urbes conditoribus — nec non instituta quoque auctoribus; et saepius, u. Bonn. lex. s. u. neque II; cf. adnotatio Ruhnkeni, quam laudat Spald. ad l. c. De C. usu cf. de or. I, 14, 62 nec, si huic M. Antonio fuisset dicendum, non, cum didicisset, ornate dixisset; et inprimis Kühner ad Tusc. I, 2, 3.

11. n e m p e e n i m. Verba haec coniunctim ita posita, ut nempe sit adfirmantis cum respectu ad antecedentia aliena sunt a ueterum dicendi usu. Ita a nostro duobus ll. usurpantur: II, 13, 9 nam recti quidem corporis uel minima gratia est. nempe enim aduersa sit facies et demissa brachia et iuncti pedes et a summis ad ima rigens opus; item VIII, pro. 6; cf. Spald. ad. l. l.; Plin. Pan. 62.

12. N o n pro ne usurpando persona prima plur. et tertia sing. et post d u m et m o d o noster Ciceroni dissidet, qui ita non dixisse uidetur nisi post utinam. Cf. I, 1, 19 non ergo perdamus; ib. 5 non adsuescat ergo; et saepius, u. Bonn. lex. Post dum: XII, 10. 48 dum rem contineant et copia non redundent; post modo: III, 11, 24 neque est fere quisquam modo non stultus — quin sciat; cf. inprimis Spald. ad Pro. 16.

13. Q u a m pro postquam praecedente i n t r a numero dierum uel annorum coniuncto inferioris est latinitatis ponere.

Cf. I, 12, 9 intra biennium, quam uerba recte formare potuerunt; u. Schwarz Turs. p. 407.

14. quamlibet et quamquam. Hac partt. apud recentiores saepe ita positae reperiuntur, ut non ad uerbum sed ad adiectiuum aut participium aut aduerbium referantur: VIII, 6, 4 oratione quamlibet clara; XII, 8, 7 quamlibet uerbose; XI, 1, 34 quamquam plena sanguinis; VII, pro. 2 quamquam fusis; et passim, u. Bonn. lex. Apud C. non aliud uerbum ita usurpatum legitur nisi quamuis, cf. Kühner. ad Tusc. I, 21, 47; Süpfle Anleitg. ed. II, p. II, § 85, p. 120 s.; Maduig, de fin. p. 737 s.

15. Quando ui causali pro quandoquidem, quoniam non raro noster dicebat; ita XI, 1, 32 quando etiam morum senilis auctoritas adulescentibus creditur; cf. Spald. ad. h. l. Cf. etiam Juu 3, 21; Pers. 1, 46; item Tac. passim, u. Boett lex. De C. usu u. Maduig., de fin. V, 21, p. 649.

16. Quatenus ex dicendi more poetaram ponere solet eodem sensu noster ac quandoquidem uel quoniam. Cf. VI, 2, 12 proprie tamen mihi huius nominis exprimenda natura est, quatenus appellatione ipsa non satis significari uidetur; item IV, 2, 66 et alibi, u. Bonn. lex. Cf. Hor. C. 3, 24, 30; S. 2, 4, 57; 1, 1, 64; Tac. D. 19; Suet. Claud. 26.

17. quin immo. Hae partt. a Q. frequenter coniunguntur, quod a C., qui quin etiam dicere solet, nusquam factum uidemus. Cf. VII, 10, 8 quin immo centum et mille; item I, 1, 31, et alibi, u. Bonn. lex. Cf. Tac. D. 6.

18. Quoque frequenter ad adiectiui uim augendam, ubi ueteres etiam, uel ponere solebant, utitur: II, 11, 1 exemplo magni quoque nominis professorum. Cf. Mützell. ad Curt. 4, 11, 15 p. 299.

19. Quotiens a nostro prorsus eodem sensu ac cum non raro usurpatur. Cf. IV, 1, 76 quotiens autem prooemio fuerimus usi, tum —; item VIII, 3, 55.
20. Saltem pro quidem et saltem neque coniunctum pro ne-quidem saepius a Q. posita sunt: I, 4, 7 at grammatici saltem omnes in hanc descendent rerum tenuitatem; I, 1, 24 neque enim mihi illud saltem placet; et passim, cf. Spald. ad h. l. et Bonn. lex.
21. Si in interrogando adhibetur a nostro V, 7, 30 extra causam quoque multa, quae prosint rogari solent, de uita testium aliorum, de sua quisque, si turpitudo, si humilitas —; cf. VII, 1, 25.* Cf. Süpfle Anleit. ed. II, p. II, § 44, 4 p. 69.
22. Sicut (ut) — ita aut addita aut omissa negatione ita inter se relata, ut uis quaedam concedendi appareat (obgleich-doch) recentioris sunt dicendi usus. Cf. X, 1, 1 sicut cognitioni sunt necessaria (eloquendi praecepta), ita non satis ad uim dicendi ualent; X, 1, 72 — Philemon, qui ut prauis sui temporis indiciis Menandro saepe praelatus est, ita consensu tamen omnium meruit crebi secundus; item IX, 2, 88, et alibi, u. Bonn. lex.
23. Ut iam prorsus eodem significatu ac quamuis posuit noster VIII, 3, 36 ut iam nobis ponere alia, quam quae illi rudes homines primique fecerunt, fas non sit, at deriuare, flectere — quando desiit licere? Cf. Drakenborch. ad Liu. 38, 46, 3.
24. Ultrumne pro utrum interrogatione disiunctiua ponere inferioris esse latinitatis docet Mützell. doctissima adnot. ad Curt. 3, 17, 8 p. 89 s. Apud nost. duobus ll. ita dictum inuenitur: III, 13 utrumne hae partes essent rhetorices, an —; item XII, 1, 40.

*) Si dicitur pro Ciceroniano quod locutione illa „parum est si," cf. VIII, 3, 26.

25. Velut a Q saepissime in comparatione usurpatur, ubi C. quasi uel tamquam dicere solet (cf. Kühner. ad Tusc. III, 20, 47; V, 5, 13). Ita X, 7, 6 ducetur ante omnia rerum ipsa serie uelut duce; VIII, 5, 29 inaequalia tantum et uelut confragosa; et quam plurimis ll., u. Bonn. lex.

Caput II.

De Quintilianeis uocabulis apud Ciceronem non repertis.

§ 20.

Vocabulis, quorum potissimum usu Quintilianus a Cicerone differebat, absolutis hoc capite ea enumerare uolui, quae in Cicerouis scriptis frustra quaerentur siue, quam quae usurparet, ei nimis poetica uisa siue post eius aetatem nouata sunt. In his autem enumerandis non solum omnia Ciceroniana uocabula ne adderem numero enixe studebam, sed etiam ceteris optimis scriptoribus usitata[1]). Grammaticorum deinde terminos[2]) aliquos omisi, quorum alii iam apud Varronem Reatinum leguntur, alii nescio an Ciceronis tempore illius artis doctoribus cogniti fuerint. Ea denique uerba[3]) de quorum scriptura parum constat, silentio praeteribo, et ea omnino mihi uideor recepisse, quae recentiore demum aetate soluta in oratione frequentari coepta sunt.

[1]) Cf. friuolus, quod apud C. non est, legitur ad Her. 4, 11, 16; item exactor, quod legitur apud Caes. B. C. 3, 32, et alia.

[2]) Jn his sunt, ablatiuus, accusatiuus (Var.), aduerbium, contractus (Var.), datiuus, fictio (cf. Spald. ad V, 10, 95), genitiuus, masculinus, neutralis, nominatiuus, pluralis, possessiuus, suasorius, scholasticus (Var.), scholastica (cf. Spald. ad IV, 2, 30), et alia.

[3]) Ad haec pertinent, insolubilis (cff. Halm. et Spald. ad V, 9, 3), labium (cf. iid. ad XI, 3, 160), reprobo (cf. iid. ad VI, pr. 3; Maduig., de fin. p. 49).

A.

§ 21

Ac priori huius capitis parte ea contuli, quae iam ante Q. apud alios recentiores dicta reperiuntur uocabula. Et in enumerando non inutile putaui poetas et orationis scriptores, quibus maxime usurpabantur, nominare, deinde ipsius nostri locos addere.

1. abnego (Verg. Hor. Col. Plin. S.) nost. XI, 2, 11 abnegatam ei pecuniae partem.
2. aboleo. (Verg. Liu. Plin. Tac.) nost. I, 5, 29 lex sermonis abolebitur, cf. I, 6, 20.
3. abolitio. (Sen. Suet.) nost. IX, 2, 97 sub pacto abolitionis, cf. Spald. ad h. l. C. "Graecum uerbum" (ἀμνηστία?) cf. Phil. 1, 1, 1; et Forc. lex. s. h. u.
4. adfectatio. (Sen. Plin. Tac. Suet.) nost. VIII. 3, 56 κακόζηλον id est mala adfectatio; uox nost. saepissime usurpata, u. Bonn. lex.
5. adiutorium. (Vell. Sen., de l. C. a Colum. laudato u. Forc. lex.) nost. I, 1, 27 egebit adiutorio regentis; XII, 10, 43 utetur his adiutt; adde III, 6, 83; 9, 4
6. adlocutio. (Sen. Plin. S. Suet.) nost. IX, 2, 37 obliquae adlocutiones.
7. admirator. (Sen.) nost. II, 5, 21 antiquitatis adm.; IX, 2, 46. Cf. Zeitschr. f. G. XIV, p. 427.
8. adstipulatio. (Plin.) nost. XI, 3, 175 tali adstipulatione
9. articulosus. (Plin.) nost. translate: IV, 5, 24 articulosa partitio.
10. audens. (Verg. Ou. Tac.) nost. XII, 10, 23 nonne his latior (laetior) et audentior (Aeschines)?
11. auditorium. (Tac. D., Plin. S., Suet.) nost. II, 11, 3 plenum a.; V, 12, 20 licet hanc (eloquentiam) auditoria probent; cf. Spald. ad h. l.

12. a u e r s a t i o. (Sen.) nost. VIII, 3, 45 cernere uideor eorum, qui aderant, tacitam a.

13. a u x i l i a t o r. (Petr. Tac.) n. XII, 3, 2 litigantium a. Cf. Z. f. G. XIV, p. 427.

14. b r e u i o. (Manil.) n. XI, 3, 83 breuiatur ceruix; XII, 10, 57 breuiauit syllabam; item I, 9, 2; V, 13, 41. Cf. Forc. lex. s. h. u.

15. c i r c u m s p e c t e. (Sen.) n. IX, 2, 69 circumspectius faciendum est.

16. c i r c u m s t a n t i a. (Sen.) n. V, 10, 104 hoc genus argumentorum sane dicamus ex circumstantia, quia *περίστασιν* dicere aliter non possumus.

17. c l a r e s c o. (Lucr. Verg. Sen. Tac.) n. I, 11, 7 clarescunt tibiae foraminibus; III, 8, 61 uerba materiae nitore clarescunt; VIII, 5, 19; cf. Spald. ad VI, 4, 9.

18. c o l l e c t i u u s. (Sen.) n. III, 6, 46; *συλλογισμόν*, quem accipimus ratiocinatiuum uel collectiuum (statum) VII, 1, 60. C.: ratiocinatiuus.

19. c o m p u t a t i o. (Sen. Plin.) n. I, 10, 35 si a c. dissentit (actor).

20. c o n l u c t a t i o. (Col. Sen.) n. XI, 3, 56 est aliis — cum uerbis suis conluct.

21. c o n s u m m a t i o. (Col. Sen. Plin.) n. II, 18, 2 quae operis consummatione finem accipiunt; VI, 1, 55. C.: perfectio atque absolutio, cf. Br. 36, 137.

22. c o n s u m m a t u s. (Sen. Mart. Plin. S.) n. I, 9, 3 opus etiam consummatis professoribus difficile; II, 19, 1 c. orator, et saepius, u. Bonn. lex. C.: perfectus.

23. c o n u e r s a t i o. (Vell. Sen. Tac.) n. VI, 3, 17 c. doctorum; cf. inprimis Spald. ad h. l. C.: consuetudo.

24. c u n e o. (Sen. Plin.) n. IV, 3, 4 — expatiandi genus, si cohaeret, non si per uim cuneatur; cf. Spald. ad h. l.

25. decens. (Hor. Ou. Sen Tac.) n. I, 10, 26 decens corporis motus; et passim.
26. decretorius. (Sen Plin. Suet.) n. VI, 4, 6 pugnam illam decretoriam imperitis relinquunt; cf. Spald. ad X, 5, 20.
27. delator. (Mart. l. spect. Juu. Plin. S.) n. III, 10, 3 — diuinationes inter delatores, uter praemium meruerit; u. etiam Spald. ad IX, 2, 74.
28. densitas. (Col. Plin.) n. VIII, 5, 26 d. sententiarum; IX, 2, 72.
29. detono. (Verg. Ou. Petr.) XII, 9, 4 dicendi iactatio detonuit.
30. dinosco. (Hor. Ou. Juu. Tac.) n. XI, 3, 31, sonis homines dinoscimus; et alibi.
31. durabilis. (Ou. Col.) n. XI, 3, 40 uox d.; ib. 23; 32.
32. eboreus. (Plin.) n. VI, 3, 61 eborea oppida; cf. Halm. ad h. l. C.: eburneus.
33. efficaciter. (Sen. Plin.) n. V, 13, 25 minus efficaciter elocutus; VIII, 4, 8.
34. enarrabilis. (Verg. Sen.) n. XII, 10, 76 uix enarrabili foeditate; VI, 3, 6.
35. eneruis. (Sen. Plin. S.) n. IX, 4, 142 compositio effeminata et eneruis. C.: mollis et eneruata oratio, cf. Tusc. IV, 17, 38.
36. enormis. (Sen. Plin. Tac.) n. XI, 3, 139 multis modis fiet enormis (toga).
37. enormitas. (Sen.) n. IX, 4, 27 in structura saxorum rudium etiam ipsa enormitas inuenit, in quo possit insistere.
38. eualesco. (Verg. Hor. Plin. Tac.) n. II, 8, 5 adiuta cura natura magis eualescat; X, 2, 10; VIII, 6, 33.
39. excresco. (Col. Plin. Tac. Suet.) n. IV, 1, 62 ne in caput excreuisse uideatur (prooemium).

40. e x p a u e s c o. (Hor. Liu. Sen. Plin. Suet,) n.: IX, 4, 35 ut crimen ingens expauescendum est; cf. VI, 2, 31; X, 3, 30.
41. e x s u c u s. (Sen.) n. XII, 10, 14 exsuci et exsangues (oratores).
42. e x t e m p o r a l i s. (Petr. Tac. Plin. S.) n. IV, 1, 54 ext. oratio; et passim, u. Bonn. lex. C.: subita et fortuita oratio, cf. de or. 1, 33, 150.
43. e x u n d o. (Sen. Plin. Tac.) n. X, 1, 109 Cicero uiuo gurgite exundat.
44. f a b u l o s u s. (Hor. Sen. Plin.) n. II, 10, 5 alia magis adhuc f.; et saepius.
45. f a u o r a b i l i s. (Vell. Sen. Plin. Tac. Suet.) n. IV, 1, 21 modus f.; et saepissime, u. Bonn. lex. Cf. Spald. ad l. l., et Forc. lex.
46. f o r m a t o r. (Col. Sen. Plin. S.) n. X, 2, 20 alienorum ingeniorum f. (praeceptor).
47. f r a g o s u s. (Verg. Ou.) n. transl. IX, 4, 7; fragosa oratio.
48. g r a c i l i s. (Verg. Hor. Ou. Mart. Plin. S. Suet.) n. XII, 10, 66 inter gracile ualidumque tertium aliquid constitutum est; ib. 36.*
49. i m a g i n o r. (Plin. Tac. Suet.) n. IX, 2, 41 — quae futura sint aut futura fuerint imaginamur; XII, 1, 21; IX, 2, 42.
50. i n a e q u a l i s. (Hor. Ou. Tac.) n. I, 10, 41 triangula lateribus inaequalibus.; VIII, 5, 29. C.: inpar.
51. i n a r d e s c o. (Verg. Ou. Sen.) n. XI, 3, 2 adfectus habitu corporis inardescunt.

*) Addi possunt duo uu. apud Statium obuia:
48a hortatrix. n. XI, 3, 103 hort. manus
48b iactator n. XI, 1, 17 — eloquentiae iact. Cf. not. ad § 22, 2.

52. i n c o m p a r a b i l i s. (Plin.) n. I, 2, 11 inc. magister.
53. i n c o m p r e h e n s i b i l i s. (Sen. Plin. S.) n. IX, 1, 12 inc. praecepta.
54. i n c o n c e s s u s. (Verg. Ou.) n. X, 2, 26 totum exprimere, quem elegeris, paene sit homini inconcessum.
55. i n c o r p o r a l i s. (Sen.) n. V, 10, 116 ius, quod sit incorporale, adprendi manu non posse; cf. Spald. ad h. l., et Zumpt u. V. p. 27, 2.
56. i n c r e d u l u s. (Hor.) n. XII, 8, 11 patronus in.
57. i n c r e s c o. (Verg. Ou. Sen.) n. VIII, 4, 2 genus increscit; XI, 3, 49.
58. i n d e c e n s. (Petr. Sen. Mart.) n. X, 2, 19 nihil est tam in. C.: indecorus.
59. i n d e c e n t e r. (iid.) n. I, 5, 64 non in.; VIII, 3, 45 indecentissime. C.: indecore.
60. i n d i s t i n c t u s. (Cat. Tac.) n. XII, 10, 39 — in. M. Tullius? Cf. Halm. et Spald. ad h. l.
61. i n d u b i t a b i l i s. (Stat.) n. IV, 1, 55 in genere causae indubitabili; ib. 5, 13.
62. i n d u b i t a t u s. (Just. Plin. Stat.) n. IV, 9, 2 signa siue indubitata sunt — siue dubia; et alibi. C.: res non dubia.
63. i n e m e n d a b i l i s. (Val. Max. Sen.) n. I, 1, 37, in. prauitas; XI, 3, 12.
64. i n e n a r r a b i l i s. (Liu. Sen. Plin.) n. XI, 3, 177 in. ratio; I, 5, 33.
65. i n i m i t a b i l i s. (Vell.) n. VIII, 3, 25 uetustas in.; II, 16, 16; I, 10, 7.
66. i n l a b o r a t u s. (Sen.) n. X, 1, 111 haec omnia fluunt inlaborata; et saepius
67. i n m u t e s c o. (Stat.) n. X, 3, 16 inmutescamus alioqui, si nihil dicendum uideatur; cf. Spald. ad h. l.
68. i n n o c e n t e r. (Plin. Tac.) n. VII, 4, 18 inn. uicturi.

69. inoffensus. (Verg. Ou. Sen. Plin. S.) n. I, 10, 23 in. copulatio uocum; ib. 1, 31.
70. inpatiens. (iid.) n. XI, 1, 16 habet mens nostra — quiddam inp. superioris.
71. inpossibilis. (Iust. App.) n. V, 10, 18 non longum tantum, sed etiam inp.
72. inpotenter. (Iust. Sen.) n. I, 3, 13 ne quid inp. faciat.
73. inproprius. (Plin.) n. VIII, 2, 3 id apud nos inpr., *ἄκυρον* apud Graecos uocatur.
74. inputo. (Sen. Plin. Tac.) n V, 10, 72 an ei caedes inputanda sit; XI, 3, 33.
75. inquieto. (Petr. Sen. Tac. Suet.) n. XI, 3, 80 nares digito inquietare.
76. insecabilis. (Sen.) n. II, 17, 38 corpora ins.; III, 3, 13.
77. insenesco. (Hor. Ou. Tac.) n. X, 3, 11 qui singulis actionum partibus insenescat.
78. inspiro. (Verg. Ou. Sen.) n. XII, 10, 62 misericordiam inspirabit; et alibi.
79. interritus. (Verg. Ou. Sen. Tac.) n. I, 3, 4 uultu interrito; V, 7, 11.
80. intumesco. (Hor. Ou. Plin. Tac.) n. I, 1, 8 — iure quo hoc hominum genus intumescit.
81. iunctura. (Hor. Ou. Plin.) n. IX, 4, 32 iunctura est in uerbis; et passim, u. Bonn. lex. C.: iunctio, coniunctio.
82. latrator. (Verg. Mart.) n. XII, 9, 12 a uiro bono in rabulam latratoremque conuertitur.
83. licentiosus. (Sen.) n. I, 6, 23 non minus est licentiosum.
84. litterarius. (Plin. Tac. Suet.) n. I, 4, 27, litt. ludus.
85. malignus. (Plaut. Verg. Hor. Sen. Plin. Suet.) n. IV, 1, 10 ne maligni in quemquam hominem uideamur. Cf. Forc. lex. s. h. u.

86. m a l i g n i t a s. (iid.) n. V, 3 sermo, cui m. initium dederit.

87. m e a t u s. (Lucr. Ou. Sen. Plin.) n. VII, 10, 10 spiritus m. Cf. Forc. lex. s. h. u.

88. m e o. (iid.) n. XI, 3, 16 per quae meat (aura).

89. m u l t i p l i c a t i o. (Col. Sen.) n. VIII, 4, 27 unius (rei) m.

90. n o r m a l i s. (Manil.) n. XI, 3, 141 n. angulus.

91. n o t a r i u s. (Mart. Plin. S.) n. VII, 2, 24 (actiones) in questum notariorum corruptae.

92. o f f e n s a t i o. (Sen. Plin.) n. XI, 3, 130 offensatione — commoneretur.

93. p e c u l i a r i t e r. (Plin. Mart.) n. VIII, 1, 8 nomen alicui rei p. tribuitur; I, 2, 16.

94. p e r d u r o. (Ou. Sen.) n. VIII, 3, 33 quaedam perdurant.

95. p o t e n t e r. (Hor. Val. Max.) n. XII, 10, 72 dicat — p.; cf. Spald. ad V, 7, 37.

96. p r a e d u l c i s. (Lucr. Verg. Plin. Suet.) n. II, 5, 22 pr. genus; VIII, 3, 56.

97. p r a e d u r u s. (Verg. Ou. Plin. Tac.) n. XI, 3, 69 pr. caput; VI, 4, 11.

98. p r a e t e n u i s. (Plin.) n. XI, 3, 41 sonus pr. C.: p e r tenuis.

99. p r a e s u m o. (Verg. Sen. Plin. Tac.) n. XI, 1, 27 inuiti iudices audiunt praesumentem partes suas; cf. Spald. ad III, 6, 35.

100. p r a e u a l e o. (Vell. Plin. Tac. Plin. S. Suet.) n. VI, 2, 9 (adfectus) ad beniuolentiam praeualere; VII, 4, 19.

101. p r o f e c t u s. (Ou. Sen. Plin. S. Suet.) n. I, 2, 26 firmiores in litteris prof.; et saepius; C.: processus; progressus.

102. p r o f e s s o r. (Col. Tac. Suet.) n. II, 11, 1 magni nominis professores; et passim. Cf. Zft. f. G. XIV, 428.

103. p r o s a. (Vell. Col. Sen Plin.) n. IX, 4, 52 quod est prosa scriptum; et passim, u. Bonn. lex.; Adiect.: XI, 2, 39 facilius uersus ediscimus quam prosam orationem. Cf. pedestris § 9, 2.

104. r e l u c t o r. (Verg. Hor. Sen. Mart) n. I pr. 1 diu sum reluctatus; IX, 4, 7.

105. r e s u l t o. (Verg. Sen. Plin. Tac.) n. XII, 2, 11 aquae resultantis; cf. XI, 3, 183.

106. s a l e b r o s u s. (Ou. Sen. Mart.) n. XI, 2, 46 sal. oratio.

107. s a x o s u s. (Verg. Prop. Plin.) n. V, 10, 27 piscium genera — gaudent saxosis.

108. s c u r r i l i t a s. (Tac. D.) n. XI, 1, 30 adfectata sc.

109. s e c e s s u s. (Verg. Ou. Plin. Tac.) n. X, 3, 28 silentium et s. C.: recessus.

110. s i g n i f i c a n t e r. (Sen.) n. XI, 1, 53 breuiter ac sig. ordinem rei protulisse contentus; III, 6, 65 significantius; cf. Spald. a. h. l.

111. s p a t i o s u s. (Verg. Ou. Sen. Plin.) n. XI, 2, 8 loca quam maxime sp.

112. s p e c i a l i s. (Sen.) n. V, 10, 43 illud generale tempus, hoc speciale tempora uocarent; III, 5, 9.

113 s t a t u a r i u s. (Sen. Plin.) n. II, 21, 1 statuarii statua; ib. 10.

114. s u b s t a n t i a. (Sen. Tac.) n. II, 21, 1 siue rerum subst.; et passim, cf. Spald. ad I, pr. 21; et Forc. lex. s. h. u

115. s u b s t r i n g o. (Sen. Tac. Suet.) n. X, 5, 4 effusa substringere; cf. Spald. a. h. l.

116. s u f f u g i u m. (Sen. Tac. Plin. S.) n. IX, 2, 78 s. infirmitatis. C.: perfugium.

117. s u p e r g r e d i o r. (Sen. Tac. Plin.) n. VI, pr. 9 omnem laudem supergressa.
118. s u p e r u e n i o. (Verg. Hor. Ou. Tac.) n. IX, 4, 23 aliud maius alii superuenit.
119. t e n u o. (Verg. Ou. Sen. Tac.) n. XI, 3, 82 tenuatur uox; ib. 19.
120. t r a n s f i g u r o. (Sen. Plin. Suet.) n VI, 2, 1 (iudicum animos) uelut transf.
121. t y r a n n i c i d a. (Sen. Suet.) n. VII, 3, 7 qui tyrannum in mortem conpulit, tyrannicida; et saepe. C.: "uiri qui tyrannos necauerunt", uel tyrannoctoni
122. t y r a n n i c i d i u m. (Sen. Plin.) n. VII, 3, 10 tyr. occidere tyrannum.
123. u e n e r a b i l i s. (Verg. Hor. Tac.) n. XII, 1, 18 (uiri) uenerabiles. C.: uenerandus.
124. u e r n i l i t a s. (Sen. Plin.) n. I, 11, 2 uern. seruilis.
125. u e r s i f i c a t i o. (Iust. Col.) n IX, 2, 35 uersificationis imitatio.
126. u e r s i f i c a t o r. (iid.) n X, 1, 89 uersificator quam poeta melior.
127. u e r s i f i c o. (iid.) n IX, 4, 143 uersificandi genus.
128. u i u a c i t a s. (Val. Max., Col. Plin.) n. VI, pr. 3 impia uiu.
129. u i u a x. (Verg. Hor. Ou. Sen.) n. II, 6, 3 paulo uiuaciores; cf. Sp ad h. l.
130. u m b r a t i c u s. (Petr. Plin. S.) n. I, 2, 18 umbr. uita. C.: uita umbratilis, Tusc. 2, 11, 27.

B.

§ 22.

Difficillimum est inuestigare, quis quodque uocabulum primus nouauerit, nisi cuius sit, aut ex ipsis inuentoris uerbis

apparet, aut ab alio scriptore traditur[1]). Neque enim cum quam minima pars operum litteris mandatorum nobis extet, certo scieris, num ab ipsis deperditorum auctoribus hoc uel illud sit inuentum. Sed hoc quidem, quod uerbum apud quem primum eorum qui extant scriptorum obuium sit, reperiri potest. Itaque apud primum Q. quae uideantur legi hac paragrapho enumerare mihi proposui eaque, quae ipsius esse ex contextu facile apparere censui, signo* notabo.

1. a b u s i u e. IX, 2, 35 παρῳδή quod nomen — ab. in uersificationis ac sermonum imitatione seruatur; item VIII, 6, 35 ab. uti. Ceteris ll. locutione p e r a b u s i o n e m eodem sensu utitur.

2. a d f e c t a t o r. VI, 2, 16 adff. libertatis; V, 13, 24; VI, 3, 3. Cf. not.[2])

3. a d l e c t a t i o. I, 10, 32 Chrysippus etiam nutricum illi quae adhibetur adlectationi suum quoddam carmen adsignat; cf. Halm. ad h. l.

*4. a d m i n i s t r a t i u u s. II, 18, 5 dicatur (rhetorice) actiua uel adm. (ars); nam et hoc eiusdem rei nomen est. Significat hoc noster id, quod Graeci uoce πρακτικός (τέχνη πρακτική), cf. ib. 1—5.

5. a d n o t a t i o. X, 2, 7 breuis adn.

[1]) Cf. nost. VIII, 3, 30—66.

[2]) Ephem. philol., cui inscriptum est nomen Zeitschrift f. Gymnasialwesen, V. XIV, pp. 427—29, 290 (296) substantiua in tor (omissus uidetur conditor) et 44 (46) in trix exeuntia apud C. reperta numerantur. Ex his 73 in tor et 4 in trix apud utrumque sunt; cetera nostro non usurpata. Contra 28 in tor et 8 in trix exeuntia, quae non sunt apud C., apud Q. leguntur. Haec sunt: adfectator, admirator, adsertor, agnitor, altercator, auxiliator, constitutor, consultor, contemptor, cunctator, delator, derisor, exactor, formator, iactator, insectator, latrator, legumlator, luctator, plosor, professor (?), raptor, repertor, rixator, signator, stuprator, uentilator, uersificator; cauillatrix, disputatrix, elocutrix, enuntiatrix, exercitatrix, hortatrix, iudicatrix (litteratrix), sermocinatrix.

6. agnitor. XII, 8, 13 sine agnitore signa frequenter inuenies.
7. altercator. VI, 4, 10 bonus alt. uitio iracundiae careat; ib. 15.
*8. artificialis. V, 1, 1 illas (probationes) ἀτέχνους, id est inartificiales, has ἐντέχνους, id est artificiales, uocauerunt; cff. Spald. et Halm. ad h. l.; adde XII, 8, 14; VI, 4, 4.
*9. artificialiter. II, 17, 42 qua in re alius se inartificialiter alius artificialiter gerat. Cf. l. supra l.
10. cauillatrix. VII, 3, 14 arguta uerborum c.
11. circulatorius. II, 4, 15 circulatoria iactatio.
12. circumcise. VIII, 3, 81 uirtus ponendi rem ante oculos — circ.
*13. circumductum. IX, 4, 22 — περίοδον, quae est uel ambitus uel circ. Cf. IX, 4, 124.
14. circumlocutio. VIII, 6, 61 periphrasis, cui nomen latine datum est non sane aptum orationis uirtuti circ.
15. circumuersio. XI, 3, 105 uitiosa est una circ.; cf. Spald. ad. h. l.
16. citatius et citatissime. XI, 3, 112 serui — citatius mouentur; I, 1, 37 ut nomina quaedam — quam citatissi uoluant.
17. concise. XII, 2, 11 ea (philosophia) non tam est — conc. in actionibus utendam.
18. conflictatio. III, 8, 29 incommoda turbae confl.
19. conexio. V, 14, 17 summa conexio; et saepius, u. Bonn. lex. C.: conexum.
20. consultator. VI, 3, 87 consultatori dicenti — inquit.
*21. conuinctio. I, 4, 18 ueteres — uerba modo et nomina et conuinctiones tradiderunt —: quas coniunctiones a plerisque dici scio, sed haec uidetur ex συνδέσμῳ magis propria translatio (s. quam coniunctio).

22. dedignatio. I, 2, 31 quaedam tacita ded. Vox etiam apud Plin. S. obuia.
23. destructio. X, 5, 12 destr. et confirmatio sententiarum. Proprie usurpatur uocab. a Suet. de muris delendis.
*24. disputatrix. XII, 2, 13 haec pars dialectica siue illam dicere malumus disputatricem; cf. II, 20, 7.
*25. effectiuus. Ita uertitur a nostro Graeca illa uox ποιητικός; cf. II, 18, 1—5.
26. elocutrix. II, 14, 2 oratoria sic effertur ut elocutoria, oratrix ut el.
27. enarratio. I, 4, 2 poetarum en.; II, 5, 1. C: poetarum pertractatio, de or. 1, 42, 187.
28. enuntiatrix. II, 15, 21 ita enim dicit (Theodorus Gadareus) ut ipsis eorum uerbis utar, qui haec ex graeco transtulerunt: ars inuentrix et iudicatrix et enuntiatrix — (rhetorice).
29. exercitatrix. II, 15, 25 quod duas partes ciuilitatis corpori adsignet (Plato), medicinam et quam interpretantur exercitatricem.
*30. exhortatiuus. III, 6, 47 quatuor (status) fecit Athenaeus προτρεπτικὴν στάσιν uel παρορμητικήν id est exhortatiuus.
31. fauorabiliter. IV, 3, 1 quam maxime possint f.
32. formularius. XII, 3, 11 formularii uel, ut Cicero ait, legulei quidam esse maluerunt.
33. gesticulatio. XI, 3, 183 pronuntiatio gesticulationibus molesta.
34. graciliter. IX, 4, 130 alia gracilius esse dicenda.
35. iactantia. IX, 2, 74 ueritus opinionem iactantiae; cf. I, 6, 20. Voc. deinde apud Tac. (Agr.) et Plin. S. obuia. C.: iactatio.
36. inadfectatus. VIII, 3, 87 ipsa illa αφέλεια simplex et inadf.

*37. inartificialis. u. l. l. s. u. artificialis.

*38. inartificialiter. u. l. l. s. u. artificialiter.

39. inconsequentia. VII, 6, 50 inc. rerum foedissima.

40. indifferenter. IX, 2, 6 utroque utimur ind.; XI, 3, 1. Vox Suet. etiam usurp.

41. indubius. V, 13, 24 ind. exempla; cf. Spald. ad h. l. C.: non dubius.

42. inerudite. I, 10, 33 non iner. ad declamandam ficta materia.

43. inlustramentum. XI, 3, 147 inll. pronuntiationis; cf. Forc. lex.

44. inobseruantia. IV, 2, 107 fecisse in. quadam uidetur. Tribuitur uoc. etiam Suet.; cf. Forc. lex.

45. interlocutio. V, 7, 26 breui int. patroni refutandus est.

46. inuentiuncula. VIII, 5, 22 minimis inn. gaudent.

47. iudicatrix. u. l. l. s. u. enuntiatrix.

48. lucratiuus. X, 7, 27 neque enim fere tam est ullus dies occupatus, ut nihil lucratiuae operae — ad scribendum — rapi aliquo momento temporis possit; cf. Spald. ad. h. l.

49. obseruabilis. IX, 1, 20, auersae tectaeque (manus) minus sunt obs.

*50. operositas. VIII, 3, 55 est etiam, quae periergia uocatur, superuacua, ut sic dixerim, oper.

51. patrie. XI, 1, 68 paene patrie monere uideatur; cf. Spald. ad. h. l.

52. participialis. I, 4, 29 uerba part.

*53. perpetualis. II, 13, 14 praecepta quae *καθολικά* uocitant, id est, ut dicamus quomodo possumus, uniuersalia uel p.

54. persuasibilis et persuasibiliter. Sic uertit nost. Graecorum *πιθανός* et *πιθανῶς*, cf. II, 15, 13 Aristoteles

dicit: rhetorice est uis inueniendi omnia in oratione pers.; ib. 21, 2; 15, 16; cf. II, 15, 14 — Hermagorae, qui finem eius esse ait persuasibiliter dicere — ; ib. 22; ex quo loco apparet Celsum iam h. uocem usurpasse. Cf. ib. 15, 5 Cicero pluribus ll. scripsit, officium oratoris esse dicere adposite ad persuadendum; cf. de inu. 1, 5, 6.

55. possibilis III, 8, 25 -- δυνατόν, quod nostri possibile nominant: quae ut dura uideatur appellatio, tamen sola est.

56. praeformido. IV, 5, 5 iudex praef. (duram propositionem).

57. praeformo. V, 14, 31 praeformatae infantibus litterae; II, 6, 5.

58. praelectio. II, 5, 4 — pr., quae in hoc adhibetur, ut facile — pueri scripta oculis sequantur —; I, 2, 15.

59. praelego. I, 5, 11 — auctores, quos praelegunt; it. 8, 8. Voc. et Tac. (Ann.) et Suet. usitatum.

60. procursio. XI, 3, 125 proprie de pedibus: proc. opportuna —; IV, 3, 9 translate: non semper est necessaria post narrationem illa proc.

61. pullatus. VI, 4, 6 pullata turba; II, 12, 10. Voc. est etiam apud Juu., Plin. S., Suet.

62. redditio. VIII, 3, 77 redd. contraria, quae antapodosis dicitur.

63. regressio. IX, 3, 35 ἐπάνοδος dicitur graece, nostri regr. uocant.

64. reptatio. I, 12, 10 illa per manus et genua reptatio.

65. seniliter. I, 11, 1 sen. tremere.

66. significantia. X, 1, 121 tanta in quibusdam ex periculo petitis sign.; cf. Forc. lex.

*67. sermocinatrix. III, 4, 10 — προσομιλητικήν, quam sane permittamus nobis dicere sermocinatricem.

68. subadsentiens. XI, 3, 100 manus subadsentibus humeris mouetur.

69. superiectio. VIII, 6, 67 est haec (hyperbola) decens ueri s.; cf. Spald. ad h. l.

70. supinitas. XI, 3, 122 proprie de corpore: est odiosa omnis sup.

*71. uniuersalis. u. l. l. s. u. perpetualis. Vox obuia et apud Plin. S. De l. auct. ad Her. u. ed. Orell.

*72. uocalitas. I, 5, 4 sola (uirtus) est, quae notari possit uelut uocalitas, quae εὐφωνία dicitur.

Pars Posterior.

Caput I.

De generibus significationum ueterum quae enumeraui uerborum inmutatarum nouorumque inuentorum.

§ 23.

Sermo quippe qui sit humana res, non est res stabilis et quae mutari non possit, sed ut marinus aestus certa uice legeque huc illuc fertur, ita in uocabulis eorumque formis inuicem alia usque oblitterantur alia nouantur. Illas uero ex ipsius rei natura prouenientes permutationes quae impediant uel iuuent sunt multa. Ut enim homines quibuscum coniunctissime uiuunt eorum mores et consuetudines imitantur et sibi ipsis quasi naturam reddunt, ita in cotidiano sormone cum alius ab alio mutuatur, tum docti maxime et litterati scriptorum, quorum tamquam amicorum familiaritate usi sunt, singulare ingenium et dicendi genus suis scriptis ex sua quisque parte quin exprimant, fieri non potest. Cuius autem gentis litterarum inde ab Liuio Andronico omnes Latini scriptores fuerint studiossimi inter omnis constat. Neque enim quemquam, qui elementa tantummodo antiquitatis scientiae cognita habet, fugit Romanorum omnem cultum humanitatem, artes, litteras ex uno fonte fluxisse Graeco.

Itaque cum et ueteres et maxime recentiores praecipueque qui dicuntur rhetores plurima, ne dicam omnia, Graecis debuerint, quod Quintilianea uocabula non sane pauca inueniantur, quae significatione aut inuentione Graecam originem prae se ferre facile intellegatur, non miraberis. Ac primum, quae singulares apud Q. significationes uerborum ex Graecorum analogia uideantur esse deductae, dicam. Huc enim pertinent: § 3, 7 recipere pro probando ex analogia Graeci ἐνδέχεσθαι, quod apud Atticos passim et recipere et probare significabat, u. Steph. Thes. III, 10, 24 A; § 4, 4 subripere i. q. clam facere ex anal. Graeci κλέπτω τι, cf. Spald. ad IV, 1, 78, Steph. Thes. IV, 1623 D; § 3, 8 transire i. q. effugere ex anal. Graeci παρέρχεσθαι, u. Steph. Thes. VI, 494 D; etiam mouere i. q. inchoare, moliri ex anal. Graeci κινεῖν, cf. inprimis doctissima Spald. adnotatio ad III, 1, 8; § 7, 1 finis pro definitione ex anal. Graeci ὅρος, qui a Platone et Aristotele passim significatu definitionis dicebatur, u. Steph. Thes. V, 2232 C; celeritas i. q. breuitas, cf. Spald. ad IV, 2, 107; huc refero et egressionem pro digressione, u. § 7, 2; deinde § 8, 10 supinus i. q. neglegens ex anal. Graeci ὕπτιος, quod eo sensu saepe est apud Dionys. Hal.; § 9, 1 densus i. q. pressus, cf. Spald. ad. X, 1, 76; § 9, 2 pedestris oratio ex anal. Graeci πεζὸς λόγος; § 14, 1 maxime cum numeralibus iunctum ex anal. Graeci μάλιστα, quod numeris adpositum saepissime apud Thucydidem legitur, u. Steph. Thes. V, 538 C; § 12, 7 multum comparatiuo coniunctum ex anal. Graeci πολύ μεῖζον; § 17, 8 per quod (quae, hoc) ex anal. Graeci δι' ὅ, δι'ἅ, quod apud Platonem saepe inuenitur, u. Steph. Thes. II, 1104 D; § 16, 3 a fere i. q. post; § 18, 1 ad aliquid; § 18, 2 post tempus, u. Steph.Thes. VIII, 1709 A; translata denique significatio praepos. circa ex anal. Graeci περί mihi uidetur esse deducta. Latinus enim sermo omnino desiderabat particulam, quae Graeco

περί uel *ἀμφί* c. accus. translate usurpato responderet. Usus harum duarum praepositionum et satis similes sunt; cf. ridiculus circa alq.: *ἄδικος περί τινα*; c. alq. errare; *ἐξαμαρτάνειν περί τι*; c. S litteram deliciae: *αἱ περί τό σῶμα ἡδοναί* et alia.

§ 24.

Graeci autem scientia sermonis atque consuetudine adducebantur Latini, ut non solum nouum ueteribus uocabulis usum tribuerent, sed etiam ipsi ut noua fingerent et usurparent. Litterarum enim et artium studium cum apud eos increbuisset, permulta reperiebantur, ad quae designanda nominibus carebant. Itaque rebus a Graecis petitis etiam nomina plurima ex Graecis formabantur (cf. VIII, 3, 33), praecipueque termini grammaticorum rhetorumque. Huc et nostri non pauca sunt referenda, cf. § 22, 4 – 8 — 9 — 13 — 14 — 15 — 21 — 24 — 25 — 28 — 29 — 30 — 37 — 38 — 47 — 50 — 53 — 54 — 55 — 62 - 63 — 67 — 69 — 71 — 72; § 21, 16 — 18.

§ 25.

Studiosissimus Q. ut iam intellegitur fuisse litterarum Graecarum, ita Latinarum studio scientiaque nescio an habuerit parem neminem, praecipueque quod probaretur dignum existimasse uidetur illud C. dictum in libris de finibus: rudem esse omnino in nostris poetis aut inertissimae segnitiae est aut fastidi delicatissumi. Romanorum enim praestantissimum quemque poetam inde ab Liuio Andronico usque ad Statium suum aequalem perlegisse eum unusquisque uidebit, qui decimum illum solum librum percurrerit. Quo factum est, ut ex more argenteae aetatis etiam poetico dicendi generi uocabulisque saepissime indulgeret. Huc refero: § 3, 1 c o m p o n e r e pro sedando; § 3, 2 d i c t a r e pro imperando; ib. 4, d u r a r e pro permanendo; § 3, 9 u a c a r e impersonaliter; § 4, 2 d e c l i n a r e

pro differendo; § 5, 4 fax pro stimulo; § 7, 5 uenus pro uenustate; ib. 6 uiscera pro liberis; § 8, 2 beatus i. q. extremus; § 10, 1 amatorium; ib. 2 penetrale; ib. 3 secretum; § 12, 10 olim de futuro tempore; ib. 16 utrimque de diuersis partibus; deinde § 21, 1 — 2 — 10 — 17 — 25 — 29 — 30 — 31 — 34 — 38 — 40 — 44 — 47 — 48 — 50 — 51 — 54 — 56 — 57 — 58 — 59 — 60 — 67 — 69 — 70 — 77 — 78 — 79 — 80 — 81 — 82 — 85 — 86 — 87 — 88 — 94 — 95 — 96 — 97 — 98 — 99 — 100 — 101 — 104 — 105 — 106 — 107 — 109 — 111 — 118 — 119 — 123 — 129.

Poeticae etiam sunt illae translationes prima elementa, primo studia pro studentibus, teneri profectus pro pueris primis elementis insistentibus, cf. Spald. ad I, 2, 26; cf. etiam auditoria pro auditoribus V, 12, 20; Juu. S. 7, 189; 2, 34.

Ex poetis denique, quippe qui metro utique cogantur simplicia uerba prorsus eodem sensu ponere ac composita, sumpserunt hunc usum cum alii orationis scriptores tum et noster. Huc pertinent § 1, 1 — 8; § 4, 3.

§ 26.

Duo haec de quibus supra dixi genera quisque pro suis studiis consilioque saepius rariusue scriptis inmiscere solet. Sunt autem alia, quae non tam scriptorum quam aetatis, non tam litteratorum quam hominum, non tam unius quam omnium, non tam sunt arcessita quam ex ipsius linguae fonte effusa; illa dico, quae non solum Latinae sed omnium linguarum magis minusue proprio progressu naturaque sua sponte nascuntur. Usus enim uerborum aliorum restringitur, aliorum amplificatur. Itaque uidemus uerba saepissime in deteriorem significationem abire. Huius rei apud nostrum

exempla sunt: § 5, 1 ualetudo; ib. 2 ambitio; § 8, 1 ambitiosus.*

Inuenimus deinde non raro misceri atque confundi adfinium duarum rerum imaginum nomina, quorum significationum distinctio et discrimen spatio temporis et usu quasi obtunduntur. Huc refero § 3, 6 *mereri* pro consequendo; § 6, 1 *aduocatus* pro causidico; ib. 2 *auctor* pro scriptore ib. 3 *cultus* pro ornatu; ib. 5 *habitus* pro uestitu; ib. 8 *uerecundia* pro reuerentia; § 11, 4 *quicumque* pro quiuis; § 12, 15 *ubicumque* pro ubiuis; § 12, 1 *demum* pro tantum.

Est deinde genus, cui adscribo uocabula, quae si ipsorum naturam spectas, desiderant quidem supplementum, sed quae quia uno fere omnibusque cognito additamento coniungebantur, simpliciter coepta sunt usurpari, cf. § 10, 4 *studiosus* pro studioso dicendi.

Aliam speciem progressionis deprehenderis in uoce *ciuilis* pro comi § 8, 3. Hic uis uocis, quo primo additamento certus hominum ordo ornabatur, transfertur ad quemlibet designandum, cui inest uirtus quae maxime ciuibus conuenit. Est, ut ita dicam, abstractio adiectiui, cuius rei exempla sunt plurima. Similem usus amplificationem inuenies in omnibus uocabulis, quae primum proprie usurpata contraxerunt deinde translatam significationem, cf. *scrupulosus* § 8, 8.

Aliud denique genus linguae progressus notari potest id, quo duo uel plura uocabula, quae ab initio disiuncta erant, forma et sensu in unum conflantur, quod plerumque fit in particulis. Ita apud nostrum est *nonnisi*, § 12, 9, pro tantum; *sine dubio* § 17, 10 i. q. quidem.*

*) Cf. Graecum ἀγέρωχος, Gallicum fieffé, Germanica *minne*, *knecht* (contra Anglicum knight), et alia.

*) Cf. Germanicum ze wâre — zwar; ne waere — nur; etiam ne oinum (oenum) — non: ne ein — nein, ne hiuum — nihil: nîo wiht — nicht.

Jam peruenimus ad ipsam uerborum fictionem. Usque enim res nouae excogitantur et usu ueniunt, quibus, ut C. uerbis utar, noua sunt ponenda uocabula. Neque Latinus sermo, quamquam fingere Graecis magis erat concessum, ut ipse Q. dicit loco[1]) celeberrimo, quem totum in nota transscripsi, omnino destituebatur penu, ex quo aut iungendo aut deriuando noua alimenta eaque firma ad linguam nutriendam pararentur. Itaque argentea uidemus aetate magnam nouorum uerborum copiam efflorescere, quorum plurima adhuc cotidiano in sermone Gallico et Anglico extant quin etiam nostro. Horum quae apud nostrum obuia sunt praestantissima adnotabo. Sub Caesaribus cum illa calumniandi et recitandi consuetudo increbuisset, delator (§ 21, 27) et auditorium (§ 21, 11) inuenta sunt. Deinde ut ex uernili uernilitas (§ 21, 424) est deriuata, sic a Tacito scurrilitas ex scurrili (§ 21, 108), a nostro ex uocali uocalitas (§ 22, 72). Adamatae etiam posterioribus uidentur fuisse substantiuorum formationes participiales in ntia exeuntes, cf. § 21, 16 circumstantia;

---

[1]) Fingere, ut primo libro dixi, Graecis magis concessum est, qui sonis etiam quibusdam et adfectibus non dubitauerunt nomina aptare, non alia libertate quam qua illi primi homines rebus appellationes dederunt. Nostri aut in iungendo aut in deriuando paruum aliquid ausi uix in hoc satis recipiuntur. Nam memini iuuenis admodum inter Pomponium ac Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an gradus eliminat in tragoedia dici oportuisset. At ueteres ne expectorat quidem timuerunt, et sane eiusdem notae est exanimat. In tractu et declinatione talia sunt, qualia apud Ciceronem beatitas et beatitudo: quae dura quidem sentit esse, uerum tamen usu putat posse molliri. Nec a uerbis modo, sed ab nominibus quoque deriuata sunt quaedam, ut a Cicerone sullaturit, ab Asinio fimbriatum et figulatum. Multa ex Graeco formata noua ac plurima a Sergio Flauo, quorum dura quaedam admodum uidentur, ut queens et essentia: quae cur tanto opere aspernemur nihil uideo nisi quod iniqui iudices aduersus nos sumus ideoque paupertate sermonis laboramus. Quaedam tamen perdurant. Nam et quae uetera nunc sunt, fuerunt olim noua, et quaedam sunt in usu

ib. 114 substantia; § 22, 39 inconsequentia; ib. 66 significantia; ib. 35 iactantia; ib. 44 inobseruantia. De substantiuis in tor et trix exeuntibus cf. nota ad § 22, 2.

Paene autem innumerabilia sunt noua adiectiua ficta in bilis; ib. 52 incomparabilis; ib. 53 incomprehensibilis; ib. 61 indubitabilis; ib. 63 inemendabilis; ib. 65 inimitabilis; ib. 71 inpossibilis; ib. 76 insecabilis; ib. 123 uenerabilis; § 22, 49 obseruabilis; ib. 54 persuasibilis; ib. 55 possibilis. Neque rara sunt in alis formata, cf. § 21, 42 extemporalis; ib. 90 normalis; ib. 112 specialis; § 22, 8 artificialis; ib. 52 participialis; ib. 53 perpetualis; ib. 71 uniuersalis. Ut denique amatorius ab amatore est deriuatum ita a nostro ex circulatore circulatorius § 22, 11. In particulis autem frequentior est ueterum significationum permutatio quam fictio nouarum, cf. §§ 12; 14; 17; 19.

---

perquam recentia, ut Messala primus reatum, munerarium Augustus primus dicerunt. "Piraticam" quoque ut "musicam" et "fabricam" dici adhuc uetabant mei praeceptores. "Fauorem" et "urbanum" Cicero noua credit. Nam et in epistula ad Brutum eum, inquit, amorem et eum, ut hoc uerbo utar, fauorem in consilium aduocabo: et ad Appium Pulchrum: te, hominem non solum sapientem, uerum etiam, ut nunc loquimur, urbanum. Idem putat a Terentio primum dictum esse obsequium, Caecilius a Sisenna albente caelo. Ceruicem uidetur Hortensius primus dixisse: nam ueteres pluraliter appellabant. Audendum itaque: neque enim accedo Celso, qui ab oratore uerba fingi uetat. Nam cum sint eorum alia, ut dicit Cicero, natiua, id est, quae significata sunt primo sensu, alia reperta, quae ex his facta sunt: utiam nobis ponere alia, quam quae illi rudes homines primique fecerunt, fas non sit, at diriuare, flectere, coniungere, quod natis postea concessum est, quando desiit licere? sed si quid periculosius finxisse uidebimur, quibusdam remediis praemuniendum est: ut ita dicam, si licet dicere, quodam modo, permittite mihi sic uti! VIII, 3, 30-37; cf. I, 5, 65—70; cf. etiam H. A. p. 48—72.

Caput II.

Quae cum inter Ciceronem et Quintilianum tum inter Quintilianum et alios argenteae aetatis scriptores in uocabulis usurpandis intercedat ratio.

§ 28.

Ipsius Q. dictum, totum quem quis elegerit scriptorem exprimere, homini inconcessum esse, nemini magis conuenit quam ipsi. Neque enim quisquam, qui adsiduae et maximae laudis C. ab eo passim tributae (cf. inprimis X, 1, 105—112; XII, 1, 19—23) eiusque de imitatione praeceptorum (cf. X, 2, 25—27) et generis componendi rationem habet, dubitare potest, quin illum enixe studiosissimeque sit imitatus. Atqui uerborum usu et copia maxime cum eo discrepat. Quibus in usurpandis et nouandis omnia recentioris aeui indicia Quintilianum prae se ferre mihi constat. Itaque et ei desunt multa uerba Ciceroni usitatissima ut etsi, dummodo, inops, arcere, certo, perfugium, adsiduitas, quiuis, concessu, obtemperare, oblectare, oblectatio, oblectamentum, obtrectare, reuereri, arbitratu, aequabilis, inseruire, odorari, afluere, oppido et alia[1]). Et leguntur haec plurima apud ceteros eius aetatis scriptores, Dialogo de oratore, quo Tacitum Ciceronianum dicendi genus exprimere studuisse inter omnis

[1]) Cf. VIII, 3, 24—30.

constat, praetermisso, quam rarissime, perfugium et oppido plane nusquam. Sed, ut iam ad ea, quae supra dixi, redeam, usu etiam ponendi simplicia pro compositis prorsus cum aequalibus consentit. Hunc enim usum, qui, quamquam etiam C. passim tribuere pro distribuendo solebat dicere (cf. Kühner. ad Tusc. II, 21, 47), tamen argentea demum aetate maxime increbuit, apud nostrum ut seriorem satis late patere cum ex aliis tum ex conlatione duorum locorum apparebit. Ita enim C. de or. 2, 61, 248: Ridiculum est illud Neronianum uetus in furace seruo: solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum nec occlusum. Q. eandem narratiunculam VI, 3, 50 hisce uerbis: Nec plura modo significari solent, sed etiam diuersa, ut Nero de seruo pessimo dixit: nulli plus apud se fidei haberi, nihil ei nec clusum[1]) neque signatum esse. Huic dicendi generi plane studio breuitatis, quam uel maxime adfectabant recentiores, adhibito, Tacitum saepius nostro indulgere, non multum refert, neque miror, quod ei est cura pro libro, notitia pro gloria, fabulae pro sermonibus; nam sunt cuique scriptori permittenda sua peculiaria. Neque enim Tacito est opus pro genere, finis pro definitione, uiscera pro liberis, uenus pro uenustate, finire pro defi-

[1]) Ita enim esse scribendum censeo auctoritate optt. cc.: A G S: neclusum, M: ne clusum, a (s. manus c. A): ne oclusum, dett.: neque clusum, uulgata: neque occlusum; Bernensis lacuna hic extat; Spald.: neque clusum; Halm.: nec occlusum. De integritate lectionum s. m. c. A., quam hoc loco Halm. uidetur esse secutus, quamquam sub o littera uocis "oclusum" etiam c ad "ne" pertinens latere potest, cf. ipsius Halmi praef. uerba p. VI, m.: Maior pars lectionum inlatarum deterior est quam ueteres, siue corrector codice iam interpolato usus est, siue in mendis suo Marte corrigendis rem infeliciter gessit. Vulgatam scripturam ex Ciceroniana fluxisse mihi constat. Accedit quod uerbum occludendi ullo alio loco apud Q. cum omnino non legitur, tum cludendi saepissime, u. Bonn. lex., cf. Forc. lex. s. u. cludo. De nec — neque cf. XII, 3, 5; IV, 1, 68; VI, 1, 47. De usu cludendi pro occludendi Tac. H. 1, 33; A. 2, 2.

n i e n d o, t r a n s i r e pro e f f u g i e n d o et alia, cff. §§ 14; 18. In nostra enim quaestione decernenda magis respicienda sunt omnium communia quam cuiusque sua propria. Quamuis igitur perspicuum sit in uerbis inter se conectendis sententiisque componendis multa Q. euitare, quae ceteris serioribus omnibus usitata[1]) sunt, tamen uocabulis utendis et fingendis a suis aequalibus differre mihi quidem is non uidetur. Nam ut ceteri poetica etiam quam saepissime adhibet cf. § 25. Nominum non solum in usu et translatione inferioris aetatis morem secutus est (cf. §§ 5; 6; 25 m.), sed etiam in formis. Maximum enim recentioris latinitatis indicium idque omnium eius aetatis proprium permutationem dico particularum nominibus praefixarum scripta eius clare passimque exhibent; ita pro p e rfugio s u f fugium, pro d i gressione e gressionem, pro c o n tentione i n tentionem. Apud C. deinde inuenies p e r bonus, p e rbeatus, p e rdiues, p e rdignus, p e r gratus, p e r grandis, p e r grauis, p e r iucundus, p e r infirmus, p e r insignis, p e r studiosus et paene innumerabilia alia. Qua ex tanta copia ne unum quidem apud Q. legitur; contra p r a e tenuis, p r a e dulcis, p r a e durus, cf. § 21, 96—98. Accedit alia consuetudo omnibus recentioribus usitata formandorum adiectiuorum particula priuatiua i n praeponenda, ubi C. negationem n o n ponere solebat; ita sunt apud nostrum incomparabilis, incomprehensibilis, indubitabilis, indubitatus, inemendabilis, inimitabilis, inpossibilis et alia cf. § 21. Parti-

---

[1]) Praestantissimum tantummodo et ceteris omnibus frequentatum adnotabo, h a b e r e c. g e r u n d. iunctum, cf. Vogel in Annalibus phil. N. S. 12, 1881. Monendum autem auctori tam elaboratae dissert. omnium mortalium commune aliquid accidisse. Ita enim p. 255 m.: 'N o n iungit Quintilianus cum i n f i n i t i u o d a t u r. Cf. Quint. XI, 3, 125 in dextrum (pedem) i n c u m b e r e interim d a t u r; ib. 127 interim tamen r e c e d e r e sensim d a t u r; item VI, 3, 100; X, 7, 22. Et rebus ad syntaxin pertinentibus non tam ceteris Q. praestat, quam multi opinantur, cf. n. ad § 3, 9.

cularum denique usu quam multo a ueterum consuetudine abhorreat[1]), inter omnis constat et unusquisque ex §§ 12—19 intellexerit. Variationem etiam particularum argenteae unius aetatis propriam non raro apud nostrum deprehenderis. Ita interim — interdum § 12, 2, aut — uel § 19, 3, aut — interim inter se respondent, id quod ex ceteris eius temporis Suetonius[2]) unus audebat.

Quae cum ita sint, quibus Q. ad C. dicendi genus propius accedat, omnia ad structuram uerborum (syntaxin) praecipueque ad compositionem sententiarum (stilum) esse referenda credo; uerborum usu et copia inter argenteae aetatis scriptores prorsus eum esse habendum me, ut potui, demonstrasse iam arbitror.

---

[1]) Quod pauca ut palam pro coram, alias de loco usurpatum (cf. Maduig. de fin. p. 19), donec pro dum, adeo non — ut etiam pro ita non — ut nostro desunt, nihil ad rem —; non omnia possumus omnes.

[2]) Cf. Suet. Caes. 81; Cal. 43; Claud. 15.

Vita scriptoris.

Fine a. MDCCCLVII. Engi in uico Glaronensi patre Johanne, praefecto pagi, natus puerulus admodum in confoederationem transmarinam septentrionalem migraui. Studiorum curriculo septenni gymnasii Hydropolitani Wisconsinensis rite absoluto plus annum theologiae, quam dicimus, me dedi. In patriam reuersus cum a rerum sacrarum studiis refrixissem, me ad litteras philologicas contuli, quas ducibus optimis doctissimisque professoribus Behaghelio, Maehlio, Soldano, Wackernagelio plus biennium, ut annum Berolini actum praetermittam, in hac Academia Basiliensi persecutus sum.